






2
6
410











AGGIOGRAPHIA
VERI ECCLESIASTICI

Ex ſacris Verbis, & Sententijs inſtar continuatæ orationis laborioſè contexta.

AVTHORE
F. SIXTO CARCANO
NOVOCOMEN. ORD. PRAED.
EPISCOPO GERMANICIEN.
Necnon & Illuſtriſſimi Epiſcopi, ac Principis Gurcen. Suffraganeo.





ROMAE, Sumptibus Andreæ Brugiotti. MDCXXI.
Ex Typographia Iacobi Maſcardi.
SVPERIORVM PERMISSV.

SANCTISS. D. N.
GREGORIO XV.
PONT. OPT. MAX.
FR. SIXTVS CARCANVS
EPISCOPVS GERMANICIEN.
PERPETVAM FELICITATEM.



T iniunctum mihi BEATISSIME PATER à proximo prædeceſſore Veſtræ Sanctitatis PAVLO V. Pont. glorioſæ memoriæ munus viſitandi Epiſcopatum Labacen. iuxta piam ipſius mentem, Deo auxiliante rite peragerem, ac in eadem Diocœſi facilius corrigere poſſem, ſi quid corrigendum foret, opere pretium fore duxi, in primis, toto conatu laborare, vt Clerus, qui forma Gregis eſſe debet, ad cuius exemplar Populus componitur Chriſtianus ſe tanquam ſpeculum ſine macula, atque viuam Chriſtianæ pietatis imaginem exhiberet. In hunc finem non nulla omnibus, & ſingulis præfati Epiſcopatus Eccleſiaſticis

decreta proponenda, ſacroſanctis Concilijs inhærendo digeſſi in vnum. Sed ne quis cauſari poſſet hæc eſſe hominum inuenta, vel onera grauia, & importabilia, quæ fuerunt à Sanctis Patribus pro Cleri directione, & reformatione ſancita, ac ſufficere ſi ſecundum diuinę legis normam vnicuique iuxta ſtatum ſuum in ſacris eloquijs à Deo ſupremo legiſlatore conſtitutam, ſuos quiſque mores emendet; proinde, vt obſtruatur os loquentium verba malitioſa ad excuſandas excuſationes in peccatis, & agnoſcant, qui talia dicere præſumunt, non alia eſſe, quæ ſacri Canones, quàm quæ Diuina Oracula exigunt ab ijs, qui Dei ſunt perpetuo cultui mancipati; Clero nuper à me viſitato, imò Clero dixerim vniuerſo, ſtimulum non leuis momenti ad Eccleſiaſticæ profeſſionis curſum fœliciter conſumandum fore ſum arbitratus, ſi quanta ſit Eccleſiaſtici ſtatus excellentia, quæ cauenda perſonis Eccleſiaſticis, quæ ſeruanda, non ſolum peculiaribus quibuſdam decretis & ordinationibus; verum etiam aliquot rapſodijs ex diuinis Scripturis apte cõtextis, legenda, ruminanda, ac exequenda proponerem. Quæ, vt eorum cordibus eò firmius hæreant, quo ea viderint, & diuina lege, & auctoritate Apoſtolica roborata; propterea, ſicut decreta, quæ in præfata Diœceſi, ad Diuinum cultum, ad Eccleſiarum decorem, ad reformationem Cleri promouendam opportuna, & ſalutaria duxi, Veſtræ Sanctitatis Cenſuræ ea, quanta par eſt humilitate ſubmitto, vt, ſi ita videbitur, illa ſuo di-

gnetur

gnetur Oraculo confirmare, ſic has meas Rapſodias Apo
ſtolico Veſtræ Sanctitatis iudicio corrigendas, & pa-
trocinio muniendas poſt deuotiſſima pedum beatiſſi-
morum oſcula pronus exhibeo; Indignum ratus, me,
quantumuis pauperculum, ante conſpectum Vicarij
Chriſti, vacuum apparere, non diffidens hoc munuſcu-
lum licet plane exile, nihilominus à tanto Pontifice non
reſpuendum, qui eius vices in gubernatione terrarum
gerit, & in moribus manſuetudinem refert illius, à quò
pauperculæ Viduæ, vel duorum minutorum modica
oblatio ambitioſis diuitum donarijs fuit prælata. Di-
gnetur ergo Sanctitas Veſtra opuſculum hoc ſub vmbra
alarum ſuarum euulgatum, tanquam debitæ ſibi ſubie-
ctionis tributum exiguum hilari, & exporrecta fronte
ſuſcipere, cui me totum quantuſcumque ſum, meaque
omnia licet valde tenuia, imo penè nulla, tanquam ſu-
premo Eccleſiæ Capiti, ac Principi, & Patrono mihi ſu-
per omnes in primis Colendiſſimo, debere profiteor.
Qui ſicut dum adhuc Sanctitas Veſtra in alio ſtatu fo-
ret, Illuſtriſſimæ Familiæ ſuæ vnice addictus Diuinam
Maieſtatem aſſiduis precibus interpellabam, vt digniſ-
ſimam perſonam ſuam ad ſupremum aliquando Eccle-
ſiaſticæ dignitatis faſtigium promoueret, ſic nunc ean-
dem diuinam bonitatem aſſiduè, & obnixè rogo, vt Ve-
ſtram Sanctitatem ad Summum B. Petri ſolium prope-
modum admirabili Dei prouidentia euectam, diù ſal-
uam ſeruet, & incolumen vniuerſæ Eccleſiæ ſuæ ſan-

ctæ præsertim, verò vastæ, & magna ex parte, quod ad fidem attinet deuastatæ Germaniæ; Quæ quidem à GREGORIO XV. non minorem sibi, & paternam charitatem, & Pastoralem vigilantiam; his potissimum exulceratis temporibus pollicetur, quam olim fuerit, in Gregorio XIII. similiter Bononien. immortalis memoriæ Pontifice ingenti rei Catholicæ augumento experta. Labaci Prid. non. Martij Anno MDCXXI.



ILLV-

ILLVSTR.MO AC REVER.MO PRAESVLI
DOMINO. D.
THOMAE KRÖN
EPISCOPO LABACEN.
ET CLERO IPSIVS.

FR. SIXTVS CARCANVS
Ord. Præd. Episcopus Germanicien. eiusdem
Episcopatus Visitator Apostolicus

Feruentem in Ecclesiastico Statu Dei Famulatum.



CCLESIAE Sanctæ Dei Ministrorum qui Ecclesiastici vocantur, statim ab eius initio principalis tripartita distinctio fuit, nempe Episcoporum Presbyterorum, & Diaconorum. Horum singulis etsi certa erant officia distributa; Nihilominus licet non eadem munia, mores tamen eosdem Apostolus ab ijs omnibus videtur exigere. Proinde, nos eorum simul, & virtutes, & actus sub vno veri Ecclesiastici titulo coniungendo, eodem Apostolo docente manus nostras ad scribendum, & digitos nostros ad

deli-

delineandum religioso pennicillo, extendimus, vt in hoc libello veri Diaconi, Presbyteri, & Episcopi personam, quiuis facile possit agnoscere. Quam quicunq; Nostrum ad Diuinum referre toto conatu non nititur; Is verus Ecclesiæ minister, & Ecclesiasticus profectò non est. Verum enim vero, sicut sapientes huius sæculi, qui multiplicant loqui sublimia, gloriantes in doctis humanæ sapientiæ verbis, & præcipuè in latinæ eloquentiæ flosculis, nihil sibi pro dignitate, & elegantia attulisse videntur, quod non ipsismet Platonis, Aristotelis, Ciceronis, aut alterius politioris auctoris verbis expreßerint; Ita nobis, quos tanquam Ecclesiasticos, & in dignitate Episcopali (licet indigne) constitutos, non in vanis Ciceronianæ facundiæ voculis, aut in profanis Aethnicorum placitis, sed in ostensione Spiritus, & virtutis Dei gloriari oportet; Visum est Ecclesiasticæ grauitati potissimum conuenire, vt in exprimenda veri Ecclesiastici persona, non alijs verborum, aut sententiarum formulis vteremur, quàm quibus Sanctus vsus est Spiritus in ijs, quæ loquutus est de nobis per os Sanctorum, qui a sæculo sunt Prophetarum, & Apostolorum eius, præsertim ne potius videremur, iuxta ea, quæ subinde humana dispositione, edita sunt decreta, fraternitatibus vestris, mores, & munia Ecclesiastica voluiße perscribere, atq; præscribere, quam iuxta ea, quæ ex ipsa Sacra Scriptura deprompta sunt. Et ideo huic libello, Aggiographiæ titulum, duximus inscribendum. Quod ex solis penè Sacræ Scripturæ, verbis atq; sententijs sit compactus. Quæ nimirum hinc inde dispersa, improbo labore; Deo nostris conatibus aspirante, ita collegimus, &

artificiose

artificiosè, vti patebit, in vnum veluti corpus orationis ita redegimus, vt appareant, non per vim ad nostram sententiam esse attracta, sed sua quodamodo sponte ibidem enata. Quem etiam libellum per Rapsodias, seu cathenas, quasi per totidem capita pro faciliori intelligentia distinximus. Obsecro autem vos, Fratres dilectissimi in Christo, ne quis vestrum (vt D. Hieronymi verbis vtar) in sugillationem, & non potius in ædificationem, consolationem, & emolumentum vestrum me scripsisse, quæ scripsi, arbitretur. Vt enim Philosophi, aut Oratores describentes qualem velint esse perfectum, aut Philosophum aut Oratorem, nullam inferunt personis Demosthenis, aut Platonis iniuriam, sed res ipsas absq; personis definiunt. Sic in hac descriptione veri Ecclesiastici ex ijs, quæ de ipso sacræ litteræ insinuant, eiusdem viua effigies vnicuiq; vestrum proponitur. Iam in potestate, & conscientia singulorum est, quales sint, in ea se intueri, vt ad sui inspectum, vel tristari ob deformitatem, quam corrigant, & abstergant; vel gaudere valeant ob venustatem, quam confirment, & augeant ad maiorem Dei gloriam, & ad propriam, pluriumq; aliorum salutem. Amen.



INDEX

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo P. M. Sacri Pal. Apost.

P. Episcopus de Curte Vicesg.

FR. Nicolaus Ricardius S. T. Magister, & Regens Collegii Romani S. Thomæ super Mineruam Iubente Reuerendiss. S. P. Apost. Magistro Patre Fr. Hyacintho Petronio Romano Ord. Pręd. Legi lubentissimè hanc Veri Ecclesiastici Aggiographiam, Reuerendiss. Germanicien. Episcopi nobilem lucubrationem. Censeo dignum opus Parente, & nomenclatura. Nihil hic non sacrum, aut non sacris verbis expressum. Doctrina sana potens in exhortationem, & argumentum: sermo secundum doctrinam fidelis. Omnia de Apostolo, & quod Tertulliano placuit, de porticu Salomonis. Scilicet Author ab infantia sacris litteris traditus, quidquid conatur dicere, sacrum est. Vulgandum omnino iudico in sanctæ Dei Ecclesiæ prouentum, & non modicam Christianæ praxeos vtilitatem. Dedi & signaui In S. Maria super Mineruam. 19. Kalend. Septemb. MDCXXI.

Nicolaus Ricardius.

Imprimatur

Fr. Hyacinthus Petronius Ord. Præd. Sacri Apost. Pal. Magist.

INDEX RAPSODIARVM.

De



Quis

Quis, qualisue sit verus Ecclesiasticus.

RAPSODIA I.



SICVT in vno corpore multa membra habemus,[a] omnia autem membra non eundem actum habent, nam si totum corpus, oculus, vbi auditus? si autèm totum, auditus, vbi odoratus? Posuit Deus membra vnumquodque eorum in corpore prout voluit, & qui operatur omnia in omnibus Deus, diuisiones operationum singulis membris ità constituit, vt non possit oculus dicere manui, opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus. Non estis mihi necessarij.[b] Similiter & omnes, qui sumus in concilio iustorum, & congregatione fidelium, quæ est Ecclesia Dei.[c] Vnum corpus sumus in Christo, singuli autèm alter alterius membra, habentes donationes differentes secundum virtutem & gratiam, quæ data est nobis, siue Prophetiam, secundum rationem fidei, siue ministerium in ministrando, siue qui docet, in doctrina.[d] Alioquin nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes Sacerdotes? nunquid omnes Leuitæ? nunquid omnes Clerici? nunquid omnes Ecclesiastici? Absit. Sed sicut in Ecclesia Dei diuisiones gratiarum sunt, idem autèm spiritus, & diuisiones ministrationum sunt, idem autèm Dominus, & diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, ità & diuisiones statuum sunt.[e] Vnum autem caput omnium, qui est Christus, ex quo totum corpus Ecclesiæ compactum, &

a 1.*Cor*.12.
b *Psal*.110.
c *Rom*.12.
d 1.*Cor*.12.
e *Ephes*.4.

connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate, qua propter sicut in humano corpore, membrorum alia regunt corpus, & omnibus eius motibus præsident, qualia sunt caput, & oculi. Alia verò reguntur, & per òpera sua obsequium rectoribus præstant, quales sunt manus, & pedes. Simili modo, & ordine in corpore mystico Christi, quod est Ecclesia, alij sunt inferioris status & ordinis homines, qui quasi manuum, vel pedum, cæterarumque minus nobilium corporis partium fungentes officio [f] satagunt circa frequens familiæ ministerium, & solliciti, quæ mundi sunt, turbantur erga plurima; quippe [g] qui nubentes, & nuptui tradentes, vendentes, & ementes, ædificantes, & plantantes, implicant se negotijs sæcularibus, vnde & sæculares seu laici dicuntur. Alij vero sunt excellentioris status & ordinis viri, qui id officij in Ecclesia gerunt, quod caput & cor, aut oculi in corpore, vel mens, & ratio operatur in anima. [h] Hi sunt qui abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobrie, & iuste, & pie viuunt in hoc sæculo, [i] neque nubunt, neque nubuntur [K] sed sunt Eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum Dei, [l] vt ei placeant, [m] qui idoneos illos fecit ministros Noui testamenti, qui tractantes & cogitantes, quæ Domini sunt, contendunt, vt sint sancti corpore & spiritu. [n] Segregati in opus ministerij, & dispensationis mysteriorum Dei. [o] propter quod non discedunt à templo Ecclesiasticis ministerijs seruientes die ac nocte, [p] iam non sicut hospites & aduenæ, sed sicut ciues Sanctorum & domestici Dei, propterea [q] vnctionem habent à Sancto. [r] Signati signo Thau in frontibus eorum, & habentes in cordibus eorum impressum Christi characterem, quo [s] singulariter in Ecclesiasticis ordinibus constituti à cæteris fidelibus separantur, ideò soli merito Ecclesiastici

f *Luc.* 6.
g *Luc.* 17.
h *Tit.* 2.
i *Matth.* 22.
k *Matt.* 19.
l 1. *Cor.* 3.
m 1. *Cor.* 7.
n *Rom.* 7.
o *Luc.* 2.
p *Eph.* 2.
q 1. *Toh.* 2.
r *Ezech.* 9.
s *Psal.*

nun-

nuncupantur, ſicuti & Clerici. quippè [t] qui in Eccleſiaſtici miniſterij ſortem vocati ſunt, ſicut ſcriptum eſt. [u] Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius. t *Act.* 1. u *Deut.* 32.

[a] Hi ſunt Stellæ manentes in ordine ſuo, quæ ad nutum Domini dicunt: Adſumus. a *Iud.* 6.

[b] Hi ſunt Angeli, quos multò antè præuidit in ſomnis Iacob per ſcalam aſcendentes per orationem ad Deum, & deſcendentes per operationem ad proximum. b *Gen.* 28.

[c] Hi ſunt Duces tui Iſrael, qui te educere conantur de Aegypto, ac de tenebris huius ſæculi. c *Exo.* 32.

[d] Iſti ſunt Serui Dei excelſi, qui annunciant tibi viam ſalutis. d *Act.* 16.

[e] Hæc eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob. [f] Generatio quæ dicit patri ſuo, & matri ſuæ neſcio vos, & fratribus ſuis, ignoro illos, & neſciunt filios ſuos, vt cuſtodiant eloquium Dei, & pactum ſeruent. e *Pſal.* 23. f *Deut.* 33.

[g] His accommodari poteſt illud: Aduocauit cœlum deſurſum, & terram diſcernere populum ſuum, in Laicos videlicet, & Eccleſiaſticos, de quibus ſequitur, congregate illi Sanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia. g *Pſal.* 49.

[h] Vos enim Eccleſiaſtici eſtis filij Prophetarum, & teſtamenti quod diſpoſuit Deus ad patres noſtros dicens ad Abraham: In ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. & iterum Eſaïas dicit: [i] Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini miniſtri Dei noſtri, & dicetur in gentibus, quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus. Et rurſum: Princeps Apoſtolorum ait ad illos. h *Act.* 3. i *Eſaiæ* 61.

[K] Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum. k 2. *Pet.* 2.

[l] Neque verò omnium Eccleſiaſticorum eſt vel vnus ordo, vel æqua conditio. Nam Deus, qui diuidit ſingulis l *Epheſ.* 4.

prout vult dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, omnes tamen sunt administratorij spiritus in ministerium Ecclesiasticum electi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. [m] Quid ergò amplius est Ecclesiastico? aut quæ dignitas status Ecclesiastici super statum laicorum? aut in quo præcellimus laicos? Multum per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt nobis eloquia Dei. deinde quia ministri Christi sumus [n] dispensatores mysteriorum Dei. denique administratores Sacramentorum eius. [o] Verum sicut olim crescente numero discipulorum factum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. [p] Et sicut quondam (seditionem excitantibus Core Dathan & Abiron) filij Leui, & filij Eliab insurrexerunt contra Moysen & Aaron, vt sibi etiam Sacerdotium vendicarent, & murmurauerunt contra eos dicentes. Sufficiat vobis, quia omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis est Dominus, cur eleuamini super populum Domini. Sic auctoribus Luthero, & Caluino, insurgunt quidam filij Belial in Ecclesiasticos, eo quod arceantur à ministerio sacrorum, & volunt sibi vendicare, quod eis non licet, dicentes. [q] Quid tamen amplius Ecclesiasticis? num abundat iustitia Ecclesiasticorum plusquam laicorum. [r] Ecce Ecclesiasticus factus est quasi vnus ex nobis. [s] Ecce sicut populus sic Sacerdos. [t] Numquid non melior est minimus digitus noster dorso Sacerdotis; in quo præcellunt nos hi qui se Ecclesiasticos vocant & non sunt? Quid ergò nos despicimur in ministerio sacro? Quare non est omnibus Christianis in Ecclesiasticis rebus æqua potestas? his itaque vel huiusmodi seditiosorum hominum commentis in superbiam erecti, ecce [u] polluerunt templum sanctum Dei, &

m *Rom.* 1.
n 1. *Cor.* 4.
o *Act.* 6.
p *Num.* 16.
q *Luc.* 18.
r *Gen.* 3.
s *Esai.* 24.
t 1. *Reg.* 12.
u *Psal.* 78.

dùm omnia confundunt miſcentes ſacra prophanis, poſuerunt ferè [a] Hieruſalem in pomorum cuſtodiam, quæ aliàs ædificatur vt ciuitas, [b] dùm in ea omnia honeſtè fiunt, & ſecundum ordinem [c] propterea templa eorum luxuria, & commeſſationibus ebriorum plena ſunt, & ſcortãtium cum meretricibus, ſacratisq. Aedibus, ac miniſterijs diuinis. [d] Mulieres, quas Apoſtolus in Eccleſia nec loqui permittit, vltrò ſe ingerunt, vſque adeò vt quædam voluerint Eccleſiæ primates nominari, & eſſe [e] audentes (quod Apoſtolus Tito Epiſcopo commiſit) Presbyteros per Eccleſias cõſtituere, ſeu prædicantes quos verius dicas, Euangelium prophanantes. [f] At verò nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? Numquid confuſio illorũ ſacros Eccleſiæ ordines euertit, quo minus Eccleſiaſtici miniſterio Sacerdotij fungantur in ordine vicis ſuæ? Abſit. [g] Illos quidèm & eorum ſectatores terra deglutiet, in qua nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. At verò Eccleſia Dei circundata varietate ordinum, proſperè procedit, [h] & progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Quid enim ſunt diſtincti ordines miniſtrorum Eccleſiæ? [i] Caſtra Dei ſunt hæc, ait Iacob.

[k] Regina Auſtri porrò ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam, quia [l] cum audiſſet ſapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, necnon & cibaria menſæ eius, & habitacula ſeruorum, & officia miniſtrorum eius, & veſtimenta eorum, pincernas quoque, & veſtes eorum, & victimas quas immolabat. Beati, inquit, viri tui, & beati ſerui tui, hi qui aſſiſtunt coram te omni tempore, & audiunt ſapientiam tuam. Et ecce pluſquàm Salomon hic, & pluſquàm domus Salomonis Eccleſia Dei, de qua ſcriptum eſt: [m] Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ, pluſquàm primæ [n] vere diligit Dominus portas Sion, ſcilicet Eccleſiæ Chriſti, ſuper omnia tabernacula Iacob, & ta-

a *Pſal.* 121.
b 1. *Cor.* 14.
c 2. *Mach.* 6
d 1. *Cor.* 14.
e *Tit.* 1.
f *Rom.* 3.
g *Iob* 10.
h *Cantic.* 6.
i *Gen.* 32.
k *Matt.* 22.
l 2. *Par.* 9.
m *Aggæi* 2.
n *Pſal.* 86.

men qui tabernaculo deseruiebant sancti erant Deo suo, & segregati de medio multitudinis. Præcepit enim Dominus Moysi dicens: [o] Applica quoque ad te Aaron cum filijs suis de medio filiorum Israel, vt sacerdotio fungantur mihi. [p] Aaron & filij eius constitues super cultum sacerdotij, & consecrabis eos, externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur. & iterum dicit ad Moysen & Aaron. [q] Tribum Leui noli numerare, neque pones summam eorum cum filijs Israel, sed constitue eos super tabernaculum testimonij, & cuncta vasa eius, & quidquid ad cæremonias pertinet, ipsi portabunt. Quisquis externorum accesserit, occidetur. Denique ait; [r] statuesq. Leuitas in conspectu Aaron, & filiorum eius, & consecrabis oblatos Domino, ac separabis de medio filiorum Israel, vt sint mei. Non solum autem [s] sed & sacerdotalis ordo in duos erat gradus, & habitus, & consecrationis ritu certè distinctus, Aaron, scilicet, summus Sacerdos erat, [t] filij verò eius secundi ordinis Sacerdotes dicebantur.

[o] *Exod.* 28. [p] *Num.* 8. [q] *Num.* 5. [r] *Num.* 8. [s] *Exo.* 28. 29. [t] 4. *Reg.* 23.

[u] Leuiticus quoque ordo vna licet consecrationis forma initiatus, varijs tamen officiorum & ministeriorum functionibus diuisus, & in tres ordines sub suis principibus distributus, nec non & suus cuique locus in excubijs, & ministerio assignatus. Et primus quidem ordo erat filiorum Caath sub eorum Principe Cariatsapha. Secundus erat filiorum Gerson sub eorum Principe Eliasaph. Tertius filiorum Merari sub eorum Principe Surihel, omnes ex tribu Leui.

[u] *Num.* 3.

[a] Numquid ergò talis tantaque Deo fuit cura de bobus, de Vitulis, hædis, cæterisq. animantibus, quæ in illo vmbratili tabernaculo offerebantur, & nulla erit Deo cura, nullusq. seruabitur ordo in sacrificijs, & oblationibus Ecclesiæ Christi, in quibus verus ipse agnus, filius scilicet Dei offertur, qui per vmbratica illa sacrificia figurabatur? [b] Si quidem omnia in figura contingebant illis. [c] Vtique

[a] 1. *Cor.* 8. [b] 1. *Cor.* 10. [c] *Hebr.* 10.

lex ministerij tabernaculorum vmbram habebat futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem. [d] Quisquis autem externorum, ac non consecratus sacris se tabernaculis ingerebat, quippè qui irritam fecisset legem Moysi, sine vlla miseratione occidebatur. Quanto igitur magis putamus maiora mereri supplicia, qui ex prophana multitudine non initiatus sacris, veneranda, ac tremenda pretiosissimi corporis & sanguinis Christi mysteria temere audet contrectare? [e] An ignoramus quid acciderit Oziæ Regi Israel cum ingressus in templum, Sacerdotibus contradicentibus adolere voluit incensum super altare thymiamatis, cum non esset officij sui, sed Sacerdotum, ideò statim orta est lepra in fronte eius coram sacerdotibus, in domo Domini super altare, & fuit leprosus vsque ad diem mortis suæ. [f] Nec ipsis Leuitis etiam primi ordinis, nisi solis Sacerdotibus licebat nuda tangere vasa sanctuarij, sed à Sacerdotibus tradebantur inuoluta filijs Caath ad ea portanda consecratis, ne fortè nuda ea tangentes morerentur. Et vilissimis quibusq. ex infima plebe laicis, quin & mulieribus ipsis, Luthero & Caluino tantæ temeritatis magistris, sacros calices & patenas, quibus sacratissimum corpus, & sanguis Christi excipitur, ne dum temere contrectare, quin & in suos prophanos vsus impiè conuertere licebit impune? Non licebit. [g] An non legistis, quia Balthasar Rex Babylonis cum in conuiuio temulentus præcepisset afferri vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Hierusalem, & bibisset in eis Rex, & optimates eius, & vxores eius, & concubinæ eius, in eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ, respiciente rege, articulos manus scribentis, & eadem nocte interfectus est, & diuisum est regnum eius, & datum est Medis, & Persis. [h] Existimas autem hoc ò homo, qui talia scis, & facis

d *Hebr.* 10.
e 2. *Paral.* 26.
f *Num.* 16.
g *Daniel.* 5.
h *Rom.* 2.

ea, quia tu effugies iudicium Dei? non effugies.

i *Actor.* 5. i Tractent ergo diuina Ecclesiastici, qui ad hæc separati sunt, & sacris initiati, cæterorum autem nemo audeat se coniungere illis, sed magnificet eos populus.

k 1. *Reg.* 2. K Quid si quidam illorum videlicet Ecclesiasticorum, sicut filij Heli, filij Belial nescientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum, sint l sicut cæteri hominum raptores, iniusti, adulteri, impudici, auari. Numquid iniquitas illorum sacri ministerij sanctitatem, aut sacerdotij dignitatem euacuauit? Absit.

l *Luc.* 18.

m *Num.* 18. m Ipsi quidem portabunt iniquitatem sanctuarij, & sustinebunt peccata sacerdotij sui, quo abusi sunt, cæterum manet honestas ordinis incorrupta, & sacerdotij dignitas in æternum.

n *Cor.* 3. n Verumtamen væ sacerdoti, væ Ecclesiastico illi, per cuius offensionem vituperatur ministerium nostrum, o qui cum in tanto honore esset, non intellexit, sed ad sæcularem vitam degeneri conuersatione prolapsus, comparatus est hominibus huius sæculi insipientibus, & similis factus est illis.

o *Psal.* 48.

p *Psal.* 81. p Ego dixi in initio, quia vos, ò Ecclesiastici, Dij estis, & filij excelsi omnes, vos autem sicut homines moriemini in peccatis vestris declinantes in obligationes vestras, aut sicut vnus de Principibus illis cælestibus, qui non seruauerunt principatum suum, cadetis q per superbiam à summo templi pinnaculo, r & mittetis vos deorsum malè viuendo? Non ita erit, sed magis s videte ministerium, quod accepistis in Domino, vt illud impleatis, t eò melius enim sortiti estis ministerium, quanto melioris testamenti ministri estis, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.

q *Iud.* 1.
r *Matth.* 4.
s *Coloss.* 4.
t *Hebr.* 8.

u *Num.* 18. u Custodiamus sacerdotium nostrum, & ea omnia quæ ad cultum altaris pertinent, x nemini dantes vllam offensionem in verbo. aut in facto, vt non vituperetur ministe-

x 2. *Cor.* 3.

rium nostrum, [y] sed in omnibus exhibeamus nos, sicut Dei ministros in multa patientia, in laboribus, in vigilijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute. [z] Denique tales nos exhibeamus, vt nos existiment homines esse veros Christi ministros, & dispensatores mysteriorum Dei viuentis in sæcula sæculorum.

y 2. Cor. 6.

z 1. Cor. 4.

Quis finis eorum esse debet qui volunt sacris initiari? Rapsodia II.

[a] VSQVEQVO Deus improperabit inimicus peccata legis Ecclesiasticæ, & sacerdotum eius; irritat aduersarius, & blasphemat nomen tuum in finem? Dicit enim cognatio eorum simul, omnium ferè Hæreticorum conuenientium in vnum, vt quiescere faciant omnes festos Dei ab Ecclesia Catholica, vt iam non sit amplius inter nos Propheta, non Sacerdos, non Leuita; denique vt tollant etiam iuge sacrificium, eo quod, inquiunt, Sacerdotes eorum male viuant, quasi ipsi bene viuant.

a Psal. 73.

[b] Quis enim es tu, qui alienum seruum iudicas? Domino suo stat, Domino suo cadit. Numquid quia & in aliquibus [c] Angelis suis reperit Deus prauitatem, tollenda est è cælo tota Angelici ordinis Hierarchia? Numquid tollendi sunt à conspectu Domini ne assistant coram eo omnes filij Dei, & ministrent ei, quia cum [d] semel venissent filij Dei, & starent coram Domino, venit quoque Sathan inter eos, & stetit in conspectu eius?

b Rom. 14.

c Iob 4.

d Iob 2.

Esto, multi sint in ordine Sacerdotali non secundum ordinem Melchisedech Sacerdotis Dei altissimi ambulantes,

ini-

c *Philip.3.* [e] inimici crucis Christi, quorum finis lucrum, quorum Deus, venter est, & gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt, & ambiunt. verum [f] nec omnes qui ex Israel sunt, Israelitæ sunt, neque quia ex semine Abrahæ sunt, ij filij Abrahæ sunt, quid mirum [g] si non omnes quos Mater Ecclesia enutriuit,& vsque ad sacerdotalem gradum exaltauit, veri filij sunt, sed tanquam filij [h] alieni mentiti sunt ei, inueterati sunt in moribus sæculi, & claudicauerunt à semitis suis, rectè quidem credentes, malè autem operantes? Si quidem non ex Deo, [i] sed ex sanguinibus, sed ex voluntate viri, sed ex voluntate carnis nati sunt illi in domo Dei, & facti sunt sacerdotes non propter Iesum,sed propter lucrum, non quia Spiritus Patris, qui in cælis est vocauit eos, sed quia [K] caro & sanguis, vel necessitate miserè cogente, vel cupiditate male inflammante, non verò Christi,aut proximi charitate vrgente intrusit potiùs quàm introduxit eos in Ecclesiam Dei. Et quia [l] quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est. Quid mirum si in statu Ecclesiastico carnaliter viuant, quos carnalis intentio ad eum gradum euexit? Sed quis hoc fecit? certè non Ecclesiastici ordinis disciplina,verum sæcularium parentum cupiditas, qui vt [m] hæreditate possideant bona sanctuarij Dei, [n] prouidentes bona filijs suis, non coram Deo,sed coram hominibus [o] compellunt eos in domum Dei, non [p] intrare per ostium rectæ intentionis, sed ascendere aliundè quasi fures, non vt in [q] sacrario operentur, sed vt quæ de sacrario sunt edant, non vt altari deseruiant, sed vt cum altari participent non vt [r] impleatur numerus discumbentium in conuiuio Christi, sed vt de patrimonio Christi [s] impleantur horrea eorum saturitate, & vino torcularia eorum valeant redundare.

f *Rom.9.* g *Esa.1.* h *Psal.17.* i *Ioan.1.* k *Matt.16.* l *Ioan.3.* m *Psal.82.* n *Rom.12.* o *Luc.14.* p *Ioan.11.* q *2.Cor.9.* r *Matt.22.* s *Prou.3.*

Inde fit sæpè vt cum videat quis nonnullos, quos,si permansissent in sæculo, oportuisset vtique [t] in sudore vultus

t *Genes.3.*

sui

sui vesci pane suo, nec alias viuere potuisse, [u] labores manuum suarum nisi manducassent, postmodum ad Ecclesiasticas dignitates assumptos iam in [x] labore hominum non esse, quinimmo [y] à fructu frumenti vini, & olei sui valdè ditatos in diuitijs suis pacem habere, dormire, & requiescere, edere, & bibere, & in lætitia cordis [z] frui bonis, quæ sunt Ecclesiæ, tales fortè æmulatus, hominis [a] non Dei æmulatione recogitat intra se dicens, vt quid ego hic in sæculo fame pereo, & [b] fraudo animam meam bonis? en [c] quanti mercenarij in domo Patris mei, hoc est in Ecclesia Dei comedunt panes in saturitate, & bibunt vinum in ebrietate, ibo & ego ad Patrem meum, vel ad Matrem meam, videlicet ad Prælatum, & Ecclesiam, & dicam, Pater fac me sicut vnum de mercenarijs tuis, da mihi portionem substantiæ Ecclesiasticæ, quæ me contingit. [d] Suscipe me inter Ecclesiasticos secundum eloquium tuum, vt viuam, & [e] benedicat tibi anima mea, [f] non confundas me ab expectatione mea, qua scilicet hoc aut illud beneficium, vel præbendam expecto, tantum vt per alterius mortem, vel resignationem vacet, ne igitur dum tarde [g] venio ego, alius ante me descendat, & benedictionem mihi vel surripiat, vel præripiat, nam magna est multitudo expectantium aquæ motum circa piscinam Ecclesiasticam [h] citò proferte mihi stolam primam, induite me sacris vestibus, date annulum in manu mea, & calceamenta in pedibus meis. Hac de causa, & tali intentione sacris initiatur, vt impleatur in eo, quod Sanctus Patriarcha moriens prophetauit dicens. [i] Isachar asinus fortis accubans inter terminos vidit, requiem quod esset bona, & terram quod optima, & supposuit humerum ad portandum iugum oneris Sacerdotalis, factusq. est tributis seruiens, scilicet officij diurni, pariterq. nocturni.

Vere si quæras ab vnoquoque singulariter, & dicas, Amice, quæso, ad quid [k] venisti in templum Domini?

u Psal. 127.
x Psal. 82.
y Psal. 4.
z Sap. 2.
a 2. Cor. 2.
b Eccl. 4.
c Luc. 15.
d Psal. 118.
e Gen. 27.
f Psal. 118.
g Ioan. 5.
h Luc. 15.
i Gen. 49.
k Marc. 26.

l *Matt.22.* [l] Quomodo huc intrasti non habens tamen vestem nu-
m *Psal.42.* ptialem? Vt [m] quid voluisti introire ad altare Dei? certè
inuenies iustè de nobis conqueri Dominum per os Mala-
n *Mal.1.* chiæ dicentem. [n] Quis est in vobis, qui claudat ostia, &
incendat altare meum gratuito? Non est mihi voluntas
in vobis dicit Dominus exercituum, & munus non susci-
o *Iud.2.* piam de manu vestra, [o] plurimi errore Balaam mercede
p *Phil.2.* effusi sunt. [p] Neminem habeo, inquit Apostolus, tam
vnanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit,
q *Ioan.6.* omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. [q] Tur-
ba multa sacerdotum ascendit in nauiculas Ecclesiarum,
specie quidem quasi quærentes quæ Dei, & proximi sunt,
re vera autem quærentes vt pascant ac ditent semetipsos,
r *Matt.7.* de quibus Saluator ait, [r] Multi dicent mihi in illa die,
Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus,
& in nomine tuo Dœmonia eiecimus, & in nomine tuo
virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia
ſ *Ioan.6.* numquam noui vos. [ſ] Venistis enim & quæsistis me in
templo, ingressi estis in domum meam, non quia vidistis
t *3. Reg.2.* signa, sed quia manducastis de panibus, & saturati estis.
[t] Quid quod & quidam filij Saruiæ, postquam luxuriati
fuerint in sæculo, & fortasse etiam sicut Ioab, effuderint
sanguinem belli in pace, & posuerint cruorem prælij in
Baltheo, & huiusmodi facinora multa perpetrarint, tunc
fugiunt in tabernaculum Domini, tunc induunt se vesti-
mentis ouium, tunc appræhendunt cornu altaris, tunc
sacris initiari volunt, non vt effugiant iudicium Dei, sed
vt euadant & effugiant de manu Regis Salomonis, de ma-
nu iudicis sæcularis quærentis animam eorum ad mortem,
cui dignè ob scelera, atque delicta sua sunt adiudicati?
Non itaque sacerdotij, sed sæculi culpa est, quod multi
sacerdotio suo malè fungantur, quos scilicet non Christi
charitas, sed mundi cupiditas, vel necessitas non voluntas
u *Gen.31.* in statum coegit Ecclesiasticum, [u] qui scilicet ex domo

Laban

Laban venientes ſub Eccleſiaſticis indumentis, inuoluta Laban hoc eſt ſæculi idola, ſecum in Eccleſiam intulerunt. x Sed erit tempus eorum in ſæcula. x *Pſal.* 80.

Non ideò tamen eſt abbreuiata manus Domini, quin y reliquerit ſibi in Iſrael, non dico tantum ſeptem millia, y 3. *Reg.* 19. ſed ſeptuagies ſepties millia virorum, Sacerdotum videlicet cęterorumq; Eccleſiaſticorum, quorum genua nõ ſunt incuruata ante Baal, quorum finis Chriſtus eſt, & prorſus intentio ſancta. z Qui voluntatem in lege Dei habentes, z 1. *Mach.* 4. non ex neceſſitate, ſed ex ſincera affectione a à ſimulachris huius mundi conuerſi ſunt ſeruire Deo viuo & vero, a *Theſſ.* 1. b qui in ſanguine Agni immaculati, quem quotidiè offerunt in altari pro ſui, & populi delictis, lauantes ſtolas ſuas, b *Hebr.* 9. ſanctificant ſemetipſos ad emundationem carnis per Spiritum ſanctum, & emundant conſcientiam ſuam ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti, c vndè & habent c *Rom.* 6. fructum quidem in ſanctificatione, finem verò, vitam æternam. Et hic finis eorum, qui intraturi ſunt in regnum cælorum, ſcilicet in Eccleſiam Dei, & ſacris initiandi, nimirum vt in templo Domini d ſeruiant illi in ſanctitate, & d *Luc.* 5. iuſtitia coràm illo omnibus diebus ſuis.

De promouendis ad ordines Eccleſiaſticos. Rapſodia III.

PORRO viderint Principes Sacerdotum a ne alicui citò manus imponant, neque communicent a 1. *Tim.* 5. peccatis alienis. Audituri alias à Domino, quod olim ad exaſperantem domum Iſraël per Ezechielem dicebat Dominus Deus exercituum. b Sufficiant vobis omnia ſcelera veſtra domus Iſraël. b *Ezech.* 44. Quare inducitis filios alienos incircunciſos corde, & incircunciſos carne, vt ſint in

c *Isai.9.* sanctuario meo, & polluant domum meam. [c] Multiplica-
d *Hebr.7.* stis mihi gentem non magnificastis lætitiam, [d] quia etsi
e *Psalm.4.* plures numero facti sunt sacerdotes, sed nō virtute,[e] quip-
pe qui tantùm à fructu frumenti, vini, & olei multiplicati
sunt. Vt quid mihi multitudo talium Sacerdotū dicit Do-
f *1.Reg.4.* minus? [f] Non est difficile Domino saluare Ecclesiam suam
vel in multis, vel in paucis. Melior est pusillus grex Sa-
cerdotum Christi super turbas Sacerdotum Baal multas,
g *Sap.4.* [g] sed & multigena Sacerdotum turba inutilium non erit
vtilis. Melius nimirum est, messem quidem multa esse,
operarios autem paucos, quam si multi quidem operarij
h *Sap.4.* negligentes, messis autem pauca. [h] Idcircò ne Antistes
i *Act.5.* peccet in multitudine Presbyterorum sine causa, [i] oret
Dominum, qui nouit corda hominum, ostendat, quos ele-
gerit accipere locum ministerij Ecclesiastici. Sic etenim
& Saluator ipse, cuius tamen prouidentia in sui dispositio-
ne, & electione non fallitur, antequàm designaret Aposto-
k *Luc.6.* los, [k] exijt in montem orare, & erat pernoctans in ora-
tione Dei; posteà, cùm dies factus esset elegit duodecim
ex ipsis, quos & Apostolos nominauit. Non solùm autem
sed & curet, vt non nisi per angustam portam seueri exa-
minis intret in sanctuarium Dei, & intelligat sui muneris
excellētiam quisquis ad Ecclesiasticos ordines fuerit pro-
l *Gen.42.43* mouendus. [l] Nouerat certè sanctus Patriarcha Ioseph,
qui, qualesq; essent fratres sui, qui in Aegyptum descen-
m *Gen.45.* derant pro tritico emendo, [m] nec tamen continuò ac-
quieuit carni & sanguini, sed prius durè loquebatur ad
eos tanquàm ad extraneos, prius tanquàm exploratores
excepit, probauit, interrogauit eos vndè venirent, de qua
progenie, si pater illorum adhuc viueret, si haberent fra-
tres. denique experimentum illorum facere voluit, & ipsi
responderunt ei consequenter iuxta id, quod ab eis fuerat
suscitatus. Tunc illis iussit apponi panes, & sedere cum eo
per ordinem, & impleri saccos eorum frumento quantùm

possent

possent capere. [n] Itaq; nolite omni spiritui credere, [o] quia nec Dominus credebat semetipsum omnibus. [p] Semel quidem cœpit illum deprecari, vt esset cum illo quidam, qui fuerat à Dæmonio vexatus, nec fuit admissus, sed dixit illi. Vade in domum tuam ad tuos. [q] Et iterum dixit quidam ad illum sequar te quocunq; iĕris, nec fuit appobatus. Ait autem ad alterum, sequere me, qui tamen non solum non sese exhibebat, aut rogabat, sed vocatus dixit, permitte me primum ire, & sepelire patrem meum. cui rursus dictum est: sine mortuos sepelire mortuos suos, tu autem vade, & annuntia regnum Dei. scilicet [r] nouit Deus abscondita cordis, & qui sunt eius, quia non omnes apti sunt regno Dei, aut ministerio Ecclesiæ. [s] Samuel quoq; cùm ex Dei mandato iuisset in Bethlehem, vt ibi vngeret, quẽcunq; Dominus illi monstraret, ex sex prioribus filijs, quos illi vnum post alium perungendos obtulit eorum pater Isai Bethlehemita, neminem admisit, sed ait ad singulos. Non hunc elegit Dominus, cum verò septimum adduxisset paruulum, qui & pascebat oues, pulchrum aspectu, decoraq; facie, & omninò secundum cor Dei, hunc, inquit, elegit Dominus, tulit itaq; cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum suorum, & directus est spiritus Domini à die illa, & deinceps in Dauid: sic enim vocabatur. [t] Probandi ergò primum, & explorandi spiritus, si ex Deo sunt, deindè inungendi. [u] Non enim qui seipsum, quem dona, & munera, quem emendicati fauores, & litteræ, quem caro, & sanguis, sed quem [x] bonitas & disciplina, & scientia, deniq; Deus ipse commendat, ille approbandus est, & sacris initiandus, reijciendi verò quos ille reijcit, hos autem à suo reijcit ministerio, videlicet [y] omnis alienigena & incircuncisus corde, & incircuncisus carne, non ingredietur sanctuarium meum, dicit Dominus; similiter qui facti sunt domui Israël in offendiculum iniquitatis, non appropinquabunt ad me, vt sacerdotio fungantur scandalosi, neq;

n 1. *Ioan*. 4.
o *Ioan*. 2.
p *Marc*. 5.
q *Lucæ* 9.
r *Psalm*. 43.
s 1. *Reg*. 15. 16.
t 5. *Ioan*. 4.
u 2. *Cor*. 50.
x *Psal*. 118.
y *Ezech*. 44.

accedent ad omne sanctuarium meum iuxtà Sancta sanctorum, sed portabunt cõfusionem suam, & scelera sua quæ fecerunt. [z] Ad Moysen quoque loquutus est Dominus, Loquere, inquit, ad Aaron (qui erat summus Sacerdos) homo de semine tuo qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius, si cęcus fuerit, si claudus, si paruo vel grandi, vel torto naso, si fracto pede vel manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo; si iugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus.

z *Leuit.* 21.

[a] Maledictus dolosus paterfamilias, qui habens in grege familiæ suæ masculũ, hoc est [b] filium ingeniosum, qui forte sortitus est animã bonam, & nihilominùs votum faciens immolat debile Domino, hoc est ineptũ, qui neque [c] vxorem ducere, hoc est familiam regere, neque villam emere, scilicet negotijs sæcularibus se implicare, iuga boum emere & probare, sensuum videlicet delitijs, & huius sæculi iugo deseruire nouit, quia denique ad nihilum valet vltra, nisi vt numerus sit, & fruges tantùm consumere natus, ideò mittitur foras, & offertur in templo, vel in sudario regularis habitus inuolutus sepelitur in monasterio. Sed & væ nobis qui cum in quibusdam Christiani orbis partibus, vbi Orthodoxæ fidei veritas iamdudum elanguit [d] pauci sint sacerdotes, nec possint sufficere ad holocausta per omnes Ecclesias offerenda, in vitium vitio cogimur alieno, nimirùm cuilibet Præsuli cum in arcem suæ est ingressurus Ecclesię, dicitur quod Dauidi olim dictum fuit, cum in arcem Sion vellet intrare. [e] Non ingredieris huc nisi abstuleris cæcos & claudos, vndè & prouerbium est, cæcus & claudus non intrabunt in templũ. [f] Et tamen paruuli petentes panem sacramentorum, & non habentes sacerdotes qui frangat eis, clamant ad nos, & dicunt: [g] Postquàm qui vocati sunt ad ministerium conuiuij nuptialis Christi, non fuerũt digni, exite vel in plateas, & vicos, & quosquos inueneritis

a *Matth.* 1.
b *Sap.* 8.
c *Luc.* 14.
d 2. *Par.* 29.
e 2. *Reg.* 5.
f *Tren.* 4.
g *Luc.* 14.

paupe-

pauperes ac debiles, cæcos & claudos introducite huc in sanctuarium, & in templũ Dei. [h] Nam pupilli facti sumus absque Patre, videlicet absque Sacerdote, Matres nostræ Ecclesiæ scilicet quasi viduæ. [i] Hieroboam scriptura reprehendit, quod de extremis vulgi, & de nouissimis populi fecerit sacerdotes excelsorum, & quidèm adeò facile vt quicunque voluisset, impleret manũ suam, & fieret sacerdos excelsorum. Et nos similiter quia primores populi Dei seruitium non dignantur, [K] quum tamèn in sæculo seruiãt dijs alienis, ac Dominis quidem crudelibus, qui non dant illis requiem die ac nocte, [l] & faciant nihilominus illos vel aquam suam pecunia bibere, & panem suum pretio cõparare, [m] iubemur ideò exire in vias & sæpes, & vel ignobiles quosque si non compellere certè, vel facilè suscipere ad ordines, tantùm vt impleatur domus, tantùm vt loca in monasterijs vel ministerijs Ecclesiæ impleantur, quę alioquin hominem non habent.

h *Tren.* 8.
i 3. *Reg.* 12. 13.
k *Hier.* 5.
l *Tren.* 5.
m *Luc.* 14.

[n] Attamen audite quid dicat Dominus exercituũ ad vos ò Sacerdotes, & Principes Sacerdotum, si offeratis, inquit, cęcum ad immolandum, si promoueatis, nimirũ, ignauum ad honorem Presbyterij, & ad ministerium sacrificij, si offeratis claudum, qui videlicet boni sit intellectus, & malę voluntatis, & languidum siue ineptum ad opus ministerij sanctuarij: non ne malum est? Offer illud Duci tuo, si placuerit illi, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum. [o] Vidisti virum velocem in opere suo? corã Regibus stabit, nec erit ante ignobiles, si ergò tales requirunt Reges terræ qui eis famulentur, quales offeremus Regi Regũ, Regi sæculorũ? [p] Alioquin ait Dñs ibidem, & nùnc deprecamini vultũ Dei, vt misereatur vestri ò Antistites, eò quòd minus idoneos Dei seruitio ministros, consecrarunt manus vestrę, de manu enim vestra factum est hoc, si quo modo suscipiat facies vestras dicit Dñs exercituum. [q] Igitur (humanũ dico propter infirmitatem humanæ conditionis) vel tales cõsti-

n *Malach.* 5
o *Prou.* 22.
p *Mal.* 5.
q *Rom.* 6.

tuite ad seruiendum Deo viuenti, quales Rex Nabuchodonosor Asphenes Pręposito Eunuchorum præcepit, vt sibi constituerentur in famulatum, [r] mandauit enim illi vt introduceret de filijs Israel, & de semine regio pueros, in quibus nulla esset macula, decoros forma, & eruditos omni sapientia, cautos scientia & disciplina, qui eruditi tribus annis starent in conspectu Regis, tales si habueritis, illos constituite ad ministrandum in templo Dei, clericum autèm huiusmodi donis ornatum quis inueniet? Procul & de vltimis finibus pretium eius. Quis est hic, & ordinabimus eum?

r *Dan.* 1.

Ad Ecclesiasticos vt considerent qualem per susceptionem sacri ordinis consequantur dignitatem & gratiam. Rapsodia IV.

[a] MERITO quidèm Ecclesiasticos hortatur Apostolus ne in vacuum gratiam Dei recipiant, [b] huiuscemodi verbis admonens vnumquemque. Noli negligere gratiam, quę data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterij, & iterū, [c] propter hanc causam admoneo te, vt resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Verum qualem quamq. putas esse gratiam in eo, qui sacris insignitur per impositionem manuum Episcopi? Magnam per omnem modum. [d] Vtinam ò Ecclesiastice illuminatos habeas oculos cordis tui, vt scias quæ sit excellentia vocationis tuæ, & quæ diuitiæ glorię hæreditatis eius in sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nobis, qui ad eius diuina ministeria electi sumus. Vtiq. diceret vnusquisque nostrum: [e] Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctū nomen eius. [f] Etenim Dominus elegit nos hodie, vt simus

a 2. *Cor.* 6.
b 1. *Tim.* 4.
c 2. *Tim.* 1.
d *Ephes.* 5.
e *Lucæ* 1.
f *Deut.* 26.

ei populus peculiaris de cunctis populis,qui ſunt ſuper terram. [g] Et fecit nos excelſiores cunctis gentibus quas creaúit in laudem,& nomen,& gloriam ſuam,vt ſimus populus ſanctus Domini Dei noſtri,non quia cæteros omnes merito vel virtute vinceremus, nobis iunctus eſt Dominus, [h] nam & nos mortales ſumus, ſicut & cæteri homines ſimiles omnibus,ex genere terreno illius, qui prior factus eſt, [i] ſed ipſe prior dilexit, & elegit nos antè mundi conſtitutionem, vt eſſemus Sancti,hoc eſt diuino famulatui in Eccleſia perpetuò mancipati. [k] Propterquod & dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum. [l] & dedit nobis donum electum, & ſortem in templo Dei acceptiſſimam. [m] Denique vnxit nos Deus,Deus noſter per manus ſacrorũ Antiſtitum oleo lætitiæ præ participibus noſtris,præ cæteris nimirum Chriſti fidelibus [n] per quam vnctionem idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, non quod ſufficientes ſimus tàm grandi munere fungi à nobis,quaſi ex nobis,ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, [o] qui de tenebris gentium,& communi plebe Laicorum, nos vocauit in admirabile lumen ſuum, & ſuper eminentem ſacerdotij gradum. [p] Itaque fratres videte vocationem veſtram,quia ex nobis non multi ſapientes ſecũdum carnem,non multi potentes,nõ multi nobiles, [q] & tamèn ſuſtulit nos de gregibus ouium, de poſt fœtãtes accepit nos paſcere Iacob ſeruum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam, [r] ſuſcitauit nos à terra inopes,& collocauit nos cum Principibus populi ſui. Si quidèm [ſ] pro patribus tuis, pro primis illis naſcentis Eccleſiæ miniſtris Apoſtolis ac diſcipulis tuis Domine,nati ſunt tibi filij, nos ſcilicet, qui quò ætate poſteriores,eò virtute ſumus inferiores ſacrorum miniſtri,quostamèn eorum loco conſtituiſti Principes ſanctorum ſuper omnem terram. [t] Parũ ne eſt igitur o Sacerdos, vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fœces Iſrael cõuertendas? Dicit Dominus. [u] Audite filij Leui,num parum vobis eſt quod ſeparauit vos Dominus Deus Iſrae

g *Deut.* 7.
h *Sap.* 7.
i *Epheſ.* 1.
k *Coloſſ.* 1.
l *Sap.* 3.
m *Pſal.* 44.
n 2. *Cor.* 3.
o 2. *Petr.* 3.
p 1. *Cor.* 1.
q *Pſal.* 77.
r *Pſal.* 112.
ſ *Pſal.* 44.
t *Eſa.* 49.
u *Num.* 16.

ab omni populo, & iunxit vos sibi vt seruiretis illi in cultu
tabernaculi, & staretis coràm frequentia populi, & mini-
x straretis ei, [x] An ignoratis, quia seruire Deo regnare est?
y *Apoc.* 5. [y] Nempe fecisti nos Domine Iesu, Deo nostro regnum, &
z *Ioan.* 3. sacerdotes.[z] Videte qualem charitatem dedit nobis Deus,
vt non solùm filij Dei, sed etiàm Sacerdotes Dei altissimi
a *Eccli.* 45. nominemur, & simus, [a] ità vt sit nobis sacerdotij dignitas
in æternum, & elegit nos ex omnibus viuentibus offerre sa-
crificium Deo incensum, & bonum odorem in memoriam
placare pro populo suo, & dedit nobis potestatem testamē-
ti iudiciorum docere Iacob testimonia, & in lege sua lu-
b *Psal.* 147. cem dare Israel. [b] Vere non fecit taliter omni nationi, quę
c *Deut.* 4. sub cælo est, & iudicia sua non manifestauit eis. [c] Quæ
enim est alia natio tàm grandis, quæ habeat Deos appro-
pinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis in cunctis
obsecrationibus nostris? Quæ nam est alia gens tàm incly-
ta vt habeat cæremonias, iustaque iudicia, & vniuersam
legem quam nos habemus? Interroga Israel de diebus an-
tiquis, qui fuerunt ante te, ex die, quo creauit Deus ho-
minem superterram à summo cęlo vsque ad summum eius,
si facta est aliquandò huiuscemodi res, aut vnquàm co-
gnitum sit, vt obediente Deo voci hominis, accederet
verbum sacerdotis ore prolatum ad elementum, & illicò
fieret Sacramentum, ità vt in carnem transeat panis, & vi-
d *Psal.* 115. num in sanguinem Domini nostri Iesu Christi. [d] meritò
dicunt inter gētes, quia magnificauit Dominus facere cum
eis, nimirùm Ecclesiasticis: omninò magnificauit Dominus
e *Psal.* 7. facere nobiscum. [e] Et quidē minuisti Domine cæteros ho-
f *Hebr.* 5. mines paulò minùs ab Angelis. [f] at verò Sacerdos, audeo
dicere, tantò excelsior Angelis effectus est quantò diffe-
rentius præ illis nomen, & ministerium hæreditauit. Sicut
enim nusquàm Angelos, sed semen Abrahæ filius apprehē-
dit, sic potestatem remittendi peccata, & consecrandi cor-
pus suum, non Angelis dedit, sed Aabrahæ per promissionē

& se-

& semini eius in sæcula. Alioquin cui aliquandò Angelorum dixit: [g] Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Et iterum: [h] Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Omnis autèm Pontifex ex hominibus, non ex Angelis assumptus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona,& sacrificia pro peccatis. [i] Et Angelis quidem dedit clauem abyssi, vt ligarent draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus. Ad sacerdotem autèm dicit: [K] tibi dabo claues regni Cælorum. [l] Et ante portam Paradisi voluptatis collocauit Deus Cherubin, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam, non item ad aperiendam portam, & viam ligni vitæ. [m] Sacerdoti autèm dedit clauem Dauid, qua portas cæli aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. [n] Verè ò Ecclesiastici maxima & pretiosa vobis donauit Dominus noster Iesus Christus, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ. [o] Quis enim potest remittere peccata nisi solus Deus? [p] te igitur ò Sacerdos, homo cum sis, Deum fecit, quia potestatem dedit tibi peccata dimittendi, seu etiàm retinendi. Vndè quidam de Ecclesiasticis loquens, eos appellat Deos, ad quos nempè factus est sermo Dei. [q] Ego, inquit, dixi Dij estis, & filij excelsi omnes. [r] Benedictus Deus in æternum, qui dedit potestatem talem hominibus. [s] Porrò Pharao Rex Aegypti exaltauit Ioseph, & constituit eum dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ, [t] & tulit annulum de manu sua,& dedit eum in manu eius, vestiuitq; eum stola byssina, & collo torquem auream illi imposuit, verumtamèn vno, inquit, regni solio te præcedam, Sacerdotem verò ità magnificauit Deus, vt omnibus ei traditis, etiàm clauibus regni cælestis, etiàm proprio corpore suo illum insuper diuinitatis suæ tribuerit esse participem. [u] Contēplantes itaq; fratres, ne quis desit gratiæ Dei, quam accepit vnusquisq; nostrum à Deo per su-

g *Psal.* 109.
h *Ioan.* 20.
i *Apoc.* 20.
k *Matth.* 16.
l *Gen.* 3.
m *Apoc.* 3.
n 2. *Petr.* 5.
o *Luc.* 5.
p *Ioan.* 50.
q *Psal.* 81.
r *Matth.* 9.
s *Psal.* 104.
t *Gen.* 41.
u *Hebr.* 12.

x *Ephes.* 4. sceptionem sacrorum ordinum, [x] obsecramus vos vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, vt iam non ambuletis sicut & gentes huius sæculi ambulant in vanitate sensus sui. [y] magis autem satagite, vt per bona opera, certam faciatis vocationem vestram. Alioquin [z] væ vobis si tantam neglexeritis dignitatem, quæ vobis de cælo donata est. Agnoscite ergò fratres dignitatem vestram, & ad tanti ministerij gradum assumpti, nolite ad sæcularis vitæ ignobilitatem, & turpitudinem degeneri, conuersatione redire.

y 2. *Pet.* 1.
z *Hebr.* 2.

De Bonitate, qua præcellere debet verus Ecclesiasticus. Rapsodia V.

QVALEM igitur bonitatem [a] & disciplinam, & scientiam eum oportet habere, qui assumendus est, vt [b] stet in Synagoga Deorum, in congregatione scilicet sanctorum sacerdotum, quos ob excellentem eorum dignitatem, semel & iterum, [c] Deos, os Domini nominauit? Nimirum Episcopum, & quemlibet prorsus sacerdotem oportet [d] irreprehensibilem esse, ità vt non reprehendat ipsum intus cor suum, & testimonium bonum habere ab his, qui foris sunt, vt confidenter dicere audeat. [e] Quis ex vobis arguet me de peccato? oportet illum esse vnius vxoris virum, hoc est, vnius Ecclesiæ vinculo obligatum, quia [f] si de mulieribus agitur, nos talem consuetudinem non habemus vt sacerdos sit, vel vnius vxoris vir, quoniam [g] à die ordinationis suæ, Leuita mulierem omninò non cognoscit, [h] nam vouit mulierem non tangere. Sobrium [i] qui ab commessationibus, & ebrietatibus abstineat [K] quippe cui de altari viuere, nō luxuriari permittitur.

Prudentem, qui vtpote [l] spiritualis, valeat omnia iudicare,

a *Psal.* 118.
b *Psal.* 81.
c *Exod.* 22. 23.
d 1. *Thim.* 3.
e *Ioan.* 8.
f 1. *Cor.* 11
g *Luc.* 5.
h 1. *Cor.* 7.
i *Rom.* 13.
k 1. *Cor.* 9.
l 1. *Cor.* 2.

dicare, ità [m] vt in negotio nec circumueniat, nec circumueniatur à fratre, ſed [n] attingat rem à fine vſq; ad finem fortiter, & diſponere nouerit omnia ſuauiter.

m 1. Thim. 4
n Sap. 8.

Pudicum, qui non ſolum [o] à cubilibus, & impudicitijs ſe contineat, ſed [p] cui etiàm fornicatio, aut omnis immunditia, & turpitudo abominabilis ſit, ſicut decet ſanctos.

o Rom. 13.
p Epheſ. 5.

Ornatum, non tàm pretioſis veſtibus, quam ſpecioſis moribus, [q] cuius gloria omnis potiùs ab intus ſit in varietate virtutum, quàm extrinſecus in fimbrijs aureis, & in veſtitu deaurato.

q Pſal. 44.

Doctorem, qui ſciat loqui, quæ decent ſanam [r] doctrinam, nam latratu canum, & baculo paſtorum arceri debent à grege Chriſti lupi, qui [ſ] vt rapiant, & diſpergant oues Catholici gregis docent ea, quæ non decent turpis lucri cauſa.

r Tit. 2.
ſ Ioan. 50.

Non vinolentum [t] quia luxurioſa res eſt vinum, & contumelioſa ebrietas.

t Prou. 20.

Non percuſſorem, ſed qui nouerit corripere delinquentem [u] in ſpiritu lenitatis, non in ſpiritu furoris, oportet enim [x] vt arguat, obſecret, increpet, ſed in omni patientia, & doctrina.

u Gal. 6.
x 2. Tim. 4.

Non litigioſum, Nam [y] ſi quis videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, ſed neque Eccleſia Dei.

y 1. Cor. 31.

Non cupidum: [z] qui poſt aurum non abeat, nec ſperet in pecuniæ theſauris.

z Eccl. 31.

Domui ſuę benè præpoſitum domeſticos habentem ſubditos cum omni caſtitate, non in accuſatione luxuriæ. [a] alias ſi quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, de qua ſibi familiarior cura debet ineſſe, quomodo Eccleſiæ Dei, vbi ſunt tot alieni ſolicitam diligentiam exhibebit?

a Tim. 5.

Oportet ergò Eccleſiaſticum, ſi non ſine peccato, quia

b *Eccl.7.* [b] non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet, certè, vel sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, vt potens sit exhortari
c *Matth.* 50 in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere. [c] Co-
d *Hebr.7.* netur autem vt sit sicut magister eius, [d] Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis
e 1.*Petr.2.* factus, quia namq; [e] sacerdotium sanctum est decebat vt esset nobis Pontifex, & Sacerdos

Sanctus.

f 1.*Petr.2.* CVM enim [f] debeatis fratres offerre spiritales ho-
g *Coloss.5.* stias acceptabiles Deo per Iesum Christũ [g] oportet omninò exhibere vos sanctos, & immaculatos,
h *Leuit.21.* & irreprehensibiles coram ipso, [h] hoc est quod dixit Dominus Moysen, Loquere ad Sacerdotes filios Aäron, & dices ad eos. Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius, incensum enim, & panes offerunt Deo suo, & ideò
i *Leu.20.* sancti erunt. Sed & ipsemet loquitur ad eos dicens: [i] Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, & separa-
k *Psal.17.* ui vos à cæteris populis, vt essetis mei, nempè [k] cum san-
l *Psal.92.* cto sanctus eris. Præterea [l] domum Dei decet sanctitudo, & quidèm non ab heri, & nudius tertius, sed in longitudi-
m 1. *Cor.3.* ne dierum. [m] An ignoratis, quia templum Dei estis vos Sacerdotes, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autèm vestrum, templum Dei violauerit disperdet illum Deus. Templum enim sanctum est quod estis vos, vt ergò illud exhibeatis in opere, quod olim summus Sacerdos gestabat
n *Exod.* 28. in fronte, scilicet [n] Sanctum Domino. [o] Obsecro vos per
o *Rom.12.* misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obse-
p *Psal.17.* quium vestrum, sicut autem [p] cum sancto sanctus, ità & cum innocente

Inno-

Innocens eris.

ALIOQVIN [q] quis dignè aſcendet ad altare Dei, aut quis non indignè ſtabit in loco ſancto eius? Non ne innocens manibus, & mundo corde? [r] Innocentes, ait Dominus, & recti adhæſerunt mihi. [ſ] Lauabo igitur prius inter innocentes manus meas, & tũc audebo circundare altare tuum Domine [t] propter innocẽtiam enim cuſtodiendam ſuſcepiſti me ab hoc ſæculo, & confirmaſti me in conſpectu tuo ſemper, ſcilicet [u] Religio munda, & immaculata hæc eſt, immaculatam ſe cuſtodire ab hoc ſæculo. [x] Vt ergo ſitis ò Eccleſiaſtici innocentes ſine querela, ſimplices filij Dei, ſine reprehenſione in medio nationis prauæ, & peruerſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes [y] iota vnum, aut vnum apicem ne prætereatis à lege donec omnia fiant, nam hoc eſt innocentem, & immaculatum eſſe in via [z] mandata Dei cuſtodire nimis. Sic enim faciens Eccleſiaſticus, erit quoq. coram Domino

q *Pſal.* 14.
r *Pſal.* 42.
ſ *Pſal.* 72.
t *Pſal.* 36.
u *Iacobi* 5.
x *Phil.* 2.
y *Matth.* 5.
z *Pſal.* 118.

Impollutus.

[a] CVSTODIANT dicit Dominus ſacerdotes præcepta mea, & non ſubiaceant peccato, ne moriantur in ſanctuario meo cum polluerint illud. [b] Quis autem habitabit in tabernaculo tuo, aut quis miniſtrabit in ſanctuario tuo Domine? Nonne qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam? [c] Non habitabit in medio domus meę, qui facit ſuperbiam, non direxit in conſpectu oculorum tuorũ, qui loquitur iniqua; ambulans verò in via immaculata hic mihi miniſtrabit, dicit Dominus. [d] Homo verò qui habuerit maculam nõ offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium eius, & qui acceſſerit de

a *Leuit.* 22.
b *Pſalm.* 14.
c *Pſal.* 100.
d *Leu.* 21.

ſtirpe veſtra ſacerdotali, in quo eſt immunditia, ad ea quæ conſecrata ſunt peribit coràm Domino, propterea

e *Mal.* 5. hæc [e] dicit Dominus ad vos ò Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, & dixiſtis in quo deſpeximus nomen tuum, offertis ſuper altare meum panem pollutum, & dicitis; In quo polluimus te? & polluiſtis illud in eo, quod dicitis. Menſa Domini deſpecta, & contaminata eſt, & quod ſuper poſitum eſt, contemptibile eſt. Nunquid autèm non illi menſa Domini deſpecta eſt, & contemptibile ſacrificium, qui non lotis manibus audet offerre, & manducare panem ſanctum vitæ æternæ, & ſumere calicem ſalutis perpetuæ?

f *Matth.* 23. [f] Væ ſacerdotibus illis, qui vix mundant, quod deforis eſt calicis, & paropſidis, intus autèm pleni ſunt immunditia. Infœlix munda prius quod intus eſt calicis, & paropſidis,

g *Ecli* 34. vt fiat quod deforis eſt mundum; [g] ab immũdo enim quid

h *Eſ.* 52. mundabitur. [h] Recedite recedite ab altari, exite de medio, nolite polluti tangere ſacroſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam. Mundamini qui fertis vaſa Domini, & mul-

i 1. *Cor.* 6. tò magis mundamini [i] qui portatis corpus Domini in cor-

k *Matt.* 27. pore veſtro. Mementote quia [K] Ioſeph ab Arimathia accepto corpore Chriſti in Carne paſſo, & in Cruce mortuo inuoluit illud in ſyndone munda, & poſuit illud in ſepul-

l *Matth.* 22. chro nouo, in quo nondùm quiſquàm fuerat poſitus. [l] Nolite igitur & vos ſimiles eſſe ſepulchris dealbatis, quæ à foris hominibus ſpecioſa, intus autèm plena ſunt oſſibus

m *Hebr.* 7. mortuorum, & omni ſpurcitia, alioquin [m] væ vobis ſi filiũ Dei conculcaueritis, & ſanguinem Chriſti pretioſiſſimum

n *Eſa.* 6. pollutum duxeritis in quo ſanctificati eſtis. Vtinam [n] qui

o *Mal.* 3. calculo mundari iuſſit ignito labia Iſaiæ, [o] ſedeat, ſicut ſcriptum eſt de illo, conflans, & emundans argentum; qui etiàm purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi argentum, tunc enim erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia, & placebit Domino ſacrificium Iuda, & Ieruſalem ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui, tunc videbitis quid ſit

inter iustum Sacerdotem, & impium, & inter seruientem Deo; & non seruientem ei. [p] Nolite ergo fratres contaminare manus vestras, nec aliquid immundum, ex hoc mundo tangatis ex ijs, quæ coinquinant hominem, quæ sunt, videlicet, [q] concupiscentia oculorum, superbia vitæ, concupiscentia carnis [r] iuxta consuetudinem terræ Aegypti, in qua habitatis, non facietis, & iuxta morem regionis Chanaan non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis, nec polluamini in omnibus his, in quibus contaminatæ sunt gentes. Sacerdos enim non solum sanctus esse debet, non solum innocens, non solum impollutus, sed etiam

p *Num. 6.*
q *5. Ioan. 2.*
r *Leuit. 18.*

Segregatus.

A Peccatoribus non tam locali spatio, [s] (alioquin debueratis de hoc mundo exisse) quam dissimilitudine morum, & excellentia sanctitatis, hoc enim est, quod ait Apostolus. [t] Nolite conformari huic sæculo, ita vt [u] sicut populus, sic sit & Sacerdos, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona beneplacens, & perfecta, vt quantum fieri potest, gratia [x] perfecti sitis, sicut pater vester cælestis perfectus est in natura. Turpe enim est, vt inuerso sensu laici dicere valeant. Dij Sacerdotes scilicet, quos oportuerat [y] conformes fieri imaginis filij Dei, [z] similes facti hominibus in peccatis, descenderunt ad nos, ad nostram viuendi consuetudinem, ambulantes & ipsi sicut & nos in passionibus desiderij, & secundum carnem viuentes, qui [a] segregati ex vtero matris suæ, continuo debuerant non acquiescere, sed renuntiare carni, & sanguini. [b] Tu (inquit laicus) Sacerdos venis ad me? Nunquid non ego à te debeo baptizari? vt quid autem conaris facere mundum, immundus ipse? Homines natura sumus,

s *5. Cor. 5.*
t *Rom. 12.*
u *Oseæ 4.*
x *Matt. 5.*
y *Rom. 8.*
z *Act. 16.*
a *Gal. 1.*
b *Matt. 3.*

& nos

& nos mortales ex eodem immundo concepti semine, sicut & cæteri, sed sacro peruńcti oleo, abluti sumus, san-
c *Rom.* 1. ctificati sumus, [c] segregati sumus in Euangelium Dei, vt annunciemus Laicis ab his vanis conuerti ad Deum viuũ,
d *Luc.* 20. qui fecit cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt, [d] & ideo in viam gentium non debemus abire, neque ambula-
e *Psal.* 102. re sicut & mundus ambulat in vanitate sensus sui. [e] Sed quantum distat ortus ab occidente longe facere à nobis
f *Iosu.*7. iniquitates eorum, [f] sic enim Sacerdotibus, & Leuitis, qui portabant arcam fœderis præceptum fuit, vt populum præcederent spatio duum millium cubitorum tantum, vt populus procul videre posset per quam viam ingrederen-
g *Ioan.*8. tur, ac eorum à longe vestigia sequi, & [g] cum Laici de deorsum sint, nos verò desursum, ita debet abundare iustitia nostra plus, quàm sæcularium, & laicorum, vt cum
h *Esdr.* 3. veritate dicere possimus. [h] Nunc ergo pondera Domine in statera iniquitates nostras, & eorum qui habitant in sæculo, & non inuenietur nomen tuum nisi in Israel, hoc est in Statu Ecclesiastico. Nam decet Ecclesiasticum ita cæteros omnes præcellere, vt & si illi colant Deum, comparatione tamen Ecclesiastici, vel solus ipse videatur
i *Tob.* 5. esse verus Dei cultor. [i] Nonne vobis videtur segregatus à peccatoribus ille, qui cum irent omnes ad vitulos aureos, quos fecerat Hieroboam rex Israel, solus fugiebat consortia hominum, & pergebat in Ierusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Deum Israel, omnia primitiua
k *Esth.* 3. sua fideliter offerens? [K] Segregatus erat à peccatoribus ille, qui cæteris seruis Regis genua flectentibus, & adorantibus Aman, solus scilicet Mardocheus non flectebat
l *Dan.*3. genua, neque cadens adorabat eum. [l] Nonne videntur vobis à peccatoribus segregati fuisse tres illi pueri Israelitæ, constituti super opera Babyloniæ, qui cæteris adorantibus statuam auream, quam fecerat rex Nabuchodonosor, soli non adorabant, obedientes potius præcepto le-

gis,

gis, quam præcepto Regis? Segregatus à peccatoribus vtique erat, qui dicebat. [m] Et si omnes gentes Regi Antiocho obediant, vt discedant vnusquisque à sermone legis Patrum suorum, & consentiant mandatis eius, ego & filij mei, & fratres mei obediemus legi Patrum nostrorũ. [n] Et si, inquit Sacerdotum Princeps, omnes scilicet Laici scandalizati fuerint in te Domine, ego scilicet Sacerdos, nunquàm scandalizabor. [o] In hoc igitur mundo, vbi sedes est Sathanæ, habitans, [p] etsi omnis caro corruperit viã suã sit Ecclesiasticus tanquàm Noe vir iustus atque perfectus in generationibus suis, sit velut [q] Iob in terra Hus talis, vt non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo. [r] Referat in suis moribus Oniã, qui fuit summus Sacerdos virum bonum & benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum à puero in virtutibus exercitatum, manus intendentem, & orantem pro populo. [s] Sit denique sicut Saul in populo Israel, de quo dici valeat, & erat Saul electus, & bonus, & non erat vir de filijs Israel melior illo, qui & ab humero, & sursum eminebat super omnem populum, cuius namque dignitas omni statui supereminet, turpe est si & vitæ sanctitate alios quoscunque non præcellat. [t] De cætero fratres, quæcunq. sunt vera, quęcunq. pudica, quæcunq. iusta, quæcũq. sancta, quæcunq. amabilia, quæcunq. bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, quia oportet vt in Sacerdote inueniantur. [u] secus si contenti simus, seruare tantùm id quod est mandatum minimum in lege. quid amplius facimus? [x] non nè & Laici seruare mandata debent, si volunt ad vitam ingredi? Væ nobis quia cum cæteros omnes excellentia morum præcedere teneamur, ità viuimus, vt meritò timendum sit, nè [y] multi publicani & meretrices pręcedãt nos in regno Dei. [z] Nã multi deuoti Laici ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum,

m 1. *Mac*. 2.
n *Matth*. 26
o *Apoc*. 2.
p *Gen*. 6.
q *Iob*. 5.
r 2. *Mach*. 4.
s 1. *Reg*. 9.
t *Phil*. 4.
u *Matth*. 5.
x *Matth*. 19.
y *Matth*. 21.
z *Matth*. 8.


filij autem regũ, multi, scilicet, indeuoti Sacerdotes, & Ecclesiastici eijcientur in tenebras exteriores, quia lux illuxit in cordibus eorum per Spiritum sanctum [a] qui datus est illis per impositionem manuum Presbyteri. [b] & dilexerunt magis tenebras sæculi quàm lucem gratiæ Dei. [c] Mementote fratres, quia filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam daturus est Dominus his, qui nunquàm fidem suam mutant ab eo; & ideò studeat vnusquisque, vt sit sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, quidni segregatus à peccatoribus, qui est excelsior cælis factus?

a 2.*Cor*.4.
b *Ioan*. 3.
c *Tob*. 2.

Excelsior cælis.

IN quo tantum similitudo [d] hominis, humanum verò omne alienum ab eo, quippè qui [e] mente excedens, Deo [f] sedet solitarius & eleuat se super se, suum sibi subijciens appetitum [g] & castigatione salubri, suum in seruitutem redigit corpus, & interim sapiens etiàm astris dominatur, quia non motu cæli, sed nutu Dei, non passionis impulsu, [h] sed spiritu Dei agitur, [i] & ideò à signis cæli non metuit. [K] Quid enim ait mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? certe nihil. Nam Deus cordis mei & pars mea Deus. [l] Hæc igitur perfectio tua, ò Ecclesiastice, hæc doctrina tua, Sacerdos, hæc perfectio viarum tuarum ò Dei minister. [m] Adeò sanctum est templum tuum Domine, mirabile vtique in æquitate eorum, qui digne ministerio tuo, & sacerdotio fungi debeant.

d *Ezech*.1.
e 1.*Cor*.3.
f *Tren*. 3.
g 1.*Cor*.9.
h *Rom*. 8.
i *Hier*.10.
k *Psal*.72.
l *Deut*.33.
m *Psal*.62.



De Diſciplina in genere, hoc eſt, de externa morum compoſitione, quę decet verum Eccleſiaſticum. Rapſodia VI.

QVIA vero[a] qui interna animi ſanctitate viget, ſemetipſum ædificat, qui verò etiàm exteriori morum decore pollet, Eccleſiam Dei ædificat. [b] Prouidere debemus bona non ſolùm coram Deo in bonitate, verum etiàm coram hominibus per diſciplinam deuitantes, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ miniſtratur à nobis. [c] Hæc eſt voluntas Dei, vt benefacientes obmuteſcere faciamus imprudentium hominum ignorantiam, & conuerſationem noſtram inter gētes habentes bonam in eo, quod detractant de nobis, tanquàm de malefactoribus, ex bonis operibus non conſiderantes glorificent Deum in die viſitationis, [d] vt ſi qui non credunt verbo prędicationis, per noſtræ cōuerſationis exēplum ſine verbo lucri fiant, conſiderantes in timore caſtam conuerſationem noſtram, [e] & ideò omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fiant in vobis [f] in omnibus vos exhibentes exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum ſanum, & irrepręhenſibile, vt is qui ex aduerſo eſt, vereatur malum dicere de nobis. Quum enim ordo [g] Eccleſiaſticus ſit ciuitas ſupra montem poſita quæ non poteſt ab intuentium aſpectu, & oculis abſcondi, [h] & nos nihilominùs ſpectaculum facti ſimus Deo, Angelis & hominibus, cogitare debemus, quia omnium in nos oculis conijciuntur, qui [i] & omnes ſemitas noſtras obſeruant, & veſtigia pedum noſtrorum curioſè conſiderant, [k] & ſi fortè vel non lotis manducare manibus, nos animad-

a 1. *Cor.* 14.
b 2. *Cor.* 8.
c 2. *Petr.* 2.
d 1. *Pet.* 3.
e 1. *Cor.* 14.
f *Tit.* 3.
g *Matth.* 5.
h 1 *Cor.* 4
i. *Iob.* 13.
k *Matt.* 15

l *Iob.* 13. uertan t, vel Sabbato per sata spicas euellere, [l] scribunt illicò c ontra nos amaritudines,& consumere nos volũt peccatis ignorantiæ nostræ, & quod in eis nugæ, ac omninò nulla, vel leuis culpa reputatur, nobis ad iniquitatem, & blasphemias imputatur. [m] Propterea videte fratres quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes in incessu, statu, habitu, in verbo, & potu nihil fiat, quod cuiusque offendat aspectum,sed quod vestram deceat sanctitatem, [n] siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia sic fiant, vt [o] in illis modestia vestra nota sit omnibus hominibus, & ad gloriã Dei, & populi ædificationem facta videantur. [p] Oportet enim nos tanquàm filios lucis, sicut in die honeste ambulare, ità vt lux [q] nostræ sanctæ conuersationis in tenebris sæculi huius luceat. [r] Hæc namque est sapientia nostra, & intellectus coràm populis, vt videntes [s] opera nostra bona glorificẽt Patrem nostrum,qui in cœlis est,& dicant in cordibus suis, en populus sapiens & intelligens veritatem. [t] Non solùm autèm, sed & pulcher est, & decorus Deus noster, [u] nam & decorem induit, [x] & diligit decorem domus suæ, quæ est Ecclesia Dei, [y] & quidèm ex Sion, scilicet ex ordinis Ecclesiastici dignitate, species decoris eius, hoc est Ecclesiæ, [z] si tamen amabiles & decori in vita sua per externam morum compositionem sint Sacerdotes, quorum decorem admirans quidam exclamauit dicens: [a] Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel, vt valles nemorosæ, vt horti irrigui iuxtà fluuios, vt tabernacula quæ fecit Dominus, quasi cedri propè aquas. Quò contra de ijs, qui dissoluti corde & opere, disciplinam Domini in suis actibus abiecerunt, conqueritur Dominus dicens. [b] Et egressus est à filia Sion omnis decor eius, [c] occidit inimicus omne quod erat pulchrum visu, in tabernaculis filiæ Sion, plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam sibilauerunt, & mouerunt caput suum super fi-

m *Ephes.* 8.
n 1. *Cor.* 10.
o *Phil.* 4.
p *Rom.* 13.
q *Ioan.* 1.
r *Deut.* 4.
s *Matth.* 8.
t *Cantic.* 1.
u *Psal.* 103.
x *Psal.* 25.
y *Psal.* 49.
z *Num.* 22.
a
b *Tren.* 1.
c *Tren.* 2.

liam Ierusalem. Hæccine est vbrs, dicentes, perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ? [d] Porrò in odorem vnguentorum nostrorum currunt adolescentulæ, simplicium videlicet animæ, [e] quandò Christi bonus odor sumus in ijs, qui salui fiunt, [f] quandò odor vestimentorum, hoc est externæ compositionis nostræ, sicut odor thuris, sed Mater Ecclesia lætatur sentiens fragrãtiam virtutum nostrarum, & dicit de vnoquoque nostrum, quod sanctus Patriarcha Isaac de filio suo Iacob. [g] Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus. Quando autèm per indisciplinatum viuẽdi modum exit ex nobis [h] pro suaui odore, fœtor malæ famæ, [i] sumusque odor mortis in mortem in ijs, qui pereunt, tunc vel ipsis amicis, & proximis nostris abominabiles sumus, [K] & abstinent se à vijs nostris tanquam ab immunditijs. [l] Iam, inquiunt, fœtet, talis Sacerdos per malam vitam, quatriduanus est per inueteratam in peccatis consuetudinem, tunc vniuersus Sacerdotalis ordo de nobis conqueritur dicens, [m] Videat Dominus & iudicet, quoniam per malam vestram in sæculo conuersationem fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone & seruis eius, & præbuistis eis gladium ([n] nempè linguæ eorum gladius acutus) vt occidant nos. Et quidèm non sine causa aduersus malum Sacerdotem vniuersus bonorum cœtus insurgit, nam quod ij benè viuendo ædificant, ille suis destruit moribus malè conuersando. [o] Vnus autèm ædificans & alter destruens, quid prodest illis, nisi labor? vnus orans & alter maledicens, & malefaciens, cuius vocem exaudiet Deus, cuius exemplum imitabitur populus? [p] Sciat ergò vnusquisque nostrum fratres, quomodo illum oporteat conuersari in domo Dei, quæ est Ecclesia, Dei viui columna, & firmamentum veritatis. [q] Vnusquisque placeat proximo suo in bonum ad ædificationem. [r] Quis sapiens & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conuersatione in mansuetudine sapien-

d *Cantic.* 1.
e 2. *Cor.* 2.
f *Cantic.* 4.
g *Gen.* 27.
h *Isaia* 3.
i 2. *Cor.* 2.
k *Sap.* 2.
l *Ioan.* 11.
m *Exod.* 5.
n *Psal.* 56.
o *Eccl.* 34.
p *Tim.* 3.
q *Rom.* 5.
r *Iac.* 3.

ſ 2.*Cor.* 10. tiæ. [ſ] Quam poteſtatem dedit nobis Deus, vtique in ædificationem fidelium, & non in deſtructionē eorum. [t] Exēplum ergò eſtote fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate [u] Fratres, Dei adiutores eſtis, Dei agricultura, Dei ædificatio eſtis, [x] omnia ergò ad ædificationem fiāt in vobis. [y] Vos eſtis ſal terræ, ſi ergò vos per quos condiendi ſunt quodammodo populi, ſæculi huius leuitatibus communicantes infatuati fueritis, qui erunt homines per quos fatuitas mundi ſaliatur, cum vos elegerit Dominus, per quos cæterorum inſipientia condiatur. [z] Et nunc fratres vos eſtis Presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ſicut ergò ad eloquium veſtrum, eorum debetis erigere corda, ſic ad exemplum veſtrum eorum debetis dirigere mores, ità vt [a] voſmetipſos formam detis illis ad imitandum vos; ſi enim viderint [b] opera bona, quæ vos facitis, & docueritis, ſi homines profectò [c] cadent in faciem & adorabunt Deum pronunciātes, quòd verè Deus in vobis ſit, ſi autèm Sacerdos [d] qui eſt factus forma gregis per abrupta graditur, quidni ad præcipitium grex ſequatur? [e] Vnuſquiſque ergò ſicut accepit gratiam, illam adminiſtret, ſicut boni diſpēſatores multiformis gratiæ Dei, ſi quis loquitur quaſi ſermones Dei, ſi quis miniſtrat tanquàm in virtute, quam adminiſtrat Deus, vt in omnibus ædificetur proximus, & honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum, cui eſt gloria & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

t 1.*Tim.* 4. u 1.*Cor.* 3. x 1.*Cor.* 14. y *Matth.* 6. z *Iud.* 8. a *Theſſ.* 3. b *Matth.* 6. c 1.*Cor.* 14. d 1.*Pet.* 5. s 1.*Pet.* 4.



De

De Disciplina veri Ecclesiastici in specie, & primò quoad Habitum. Rapsodia VII.

PROVERBIVM est. [a] Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus, amictus corporis & risus dētium,& ingressus hominis enunciant de illo, nam ex vestitu ex gestibus ac motibus corporis, ex loquela, & ex comestione, cæterorumque actuum humanorum, corporisque motuum externa compositione, [b] Deus, inquit Psalmista, in domibus eius, hoc est in Sacerdotibus cognoscetur; debet se in his omnibus verus Ecclesiasticus [c] speciosum forma præ filijs hominum exhibere, præsertim verò non affectet vestibus placere, [d] sed moribus, si enim per hunc modum vellet hominibus placere, seruus Christi non esset. Et quidèm cum ingreditur Sacerdos sanctuarium in conspectu Domini [e] vt Sacerdotio fungatur in ordine vicis suæ, sint, [f] vtique decet, eo tēpore, sint vestimenta eius candida, [g] induatur vestimentis gloriæ suæ, [h] ingrediatur in vestitu deaurato, circumamictus sacrarum varietate vestium in decorē & gloriam. [i] sic enim & sancti Sacerdotes Aaron & filij eius, cum ingrediebantur tabernaculū, vt ministrarent in conspectu Domini, ponebāt sibi super humerale, & tunicam, & cydarim, & baltheum, & vestes pretiosas, quarum textura & cuncta operis varietas erat ex auro, & hyacintho, & purpura, crocoque bis tincto, bysso retorta, sed & omnis lapis pretiosus in ornamentum, vestitus eorum Sardius, Topazius, & Smaragdus, Carbunculus & Saphirus, & Iaspis, Ligurius, Achates, & Ametistus, Crysolitus, Onychinus, & Beryllus inclusi auro per ordines suos. Cæterùm quod attinet ad vestes domesticas, [k] de

a *Eccl.* 19.
b *Psal.* 47.
c *Psal.* 44.
d *Galat.* 6.
e *Lucæ* 1.
f *Eccl.* 9.
g
h *Psal.* 42.
i *Exod.* 28.
k 1. *Petr.* 2.

mulieribus habes Princeps Apostolorũ, vt per sanctã ipsarum conuersationẽ lucrifiant sine verbo, si qui non credunt verbo, eæ sint quarũ non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorũ cultus, sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti, &
l 1.*Tim.* 2. modesti spiritus, qui est in conspectu eius locuples.[l] Sed & coapostolus eius Paulus. Mulieres, inquit, in habitu ornato cum verecundia & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bo-
m *Leuit.* 19. na. [m] Pudeat ergò virum Ecclesiasticum (cui præcipitur in rotundum attondere comas) discriminare capillos capitis sui oblongo & arte retorto, crispantique crine, & more
n 1.*Cor.* 11. fœmineo comas nutrire. [n] Nunquid non ipsa natura docet eos, quod vir quidèm si nutriat comam ignominia est illi! Pudeat de veste pretiosa extrinsecus gloriam affectare, cu-
o *Psal* 42. ius [o] omnis gloria eius ab intus in vestitu deaurato charitatis cum omnium varietate virtutum. Cur induitur holo-
p *Genes.* 3. serico is, cuius parentibus fecit Dominus Deus [p] tunicas pelliceas? Cur gloriam quærit in vestibus vermium, cui sa-
q *Matth.* 3. tis est indui vestimẽtis ouium. [q] Pudeat mollibus vestitum
r *Matt.* 11. pœnitentiam prædicare, [r] cuius prædicator egregius vestitus erat pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos
s *Matt.* 11. eius. [s] Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum
t *Psal.* 68. sunt, qui verò habitant in domo Domini [t] ponunt vesti-
u *Prou.* 33. mentum suum cilicium. [u] Quæsiuit mulier sapiens lanam & linum, & quærit vndequaque Sacerdos holosericum, &
x *Soph.* 2. aurum? [x] Sed audi: Visitabo in die hostiæ Domini super Principes, & super filios Regis, & super omnes qui induti sunt veste peregrina, & super omnem qui ingreditur arroganter, qui complent domum Domini sui iniquitate, & dolo. Quid? Visitabit Dominus super filios Re-
y *Iac.* 2. gis & Principes, eò quòd induantur purpura & bysso [y] & nõ intrẽdet in clericos, qui induti sunt veste præclara, & ingre-

diuntur pompaticè domũ Iſrael? Vt [z] quid diligit & oſtentat vanitatem in veſtibus, qui ſanctitatem ſuis exhibere tenetur in moribus? Quid fucum manifeſtat in habitu, qui veritatem docet in Cathedra [a] fratres, inquit Doctor gentium habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti ſimus, quibus, inquit, tegamur, non quibus gloriemur. Nos enim gloriari oportet in cruce paupertatis, non in veſte vanitatis. [b] Denique Sacerdotes tui Domine induantur iuſtitiam, [c] & tunc Sacerdotes eius S. Eccleſiæ induam ſalutari, dicit Dominus, [d] Induite autèm vos, ò Eccleſiaſtici, ſicut electi Dei ſancti & dilecti viſcera miſericordiæ benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, his [e] omnibus veluti ornamento veſtiemini. [f] Exuite vos veterem hominem cum moribus & actibus ſuis, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in ſpiritu & ſanctitate veritatis, hoc [g] enim eſt induere Dominum Ieſum, qui viuit, & regnat in ſæcula ſæculorũ. Amen.

z Pſalm. 4.
a 2. Tim. 6.
b Pſal. 131.
c Pſal. 31.
d Col. 3.
e Iſ. 56.
f Eph. 4.
g Rom. 13.

De Diſciplina veri Eccleſiaſtici in geſtibus corporis. Rapſodia VIII.

QVONIAM [a] autem membra veſtra, fratres, ſunt membra Chriſti, nec non & templum Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, illa porrò ea honeſtate ac decenti grauitate diſponite, vt in eorum geſtibus non ſolum illicitum nihil, ſed nec aliquid appareat indecorum, alioquin leuitas motuum corporis, leuitatem indicat cordis. De corde enim exeunt in conditi corporis geſtus, riſus immoderatus, inceſſus fractus, extollentia oculorum, ſcurrilitas linguæ, erectio capitis, brachiorum ventilatio, manuum ac digitorum extenſio, & ſi qui ſunt alij hu-

a 1. Cor. 6.

b 1.*Cor*.13. iusmodi motus indecori. [b] Et quidèm ò Ecclesiastice cum
esses paruulus,hoc ast laicus, non mirum si loquebaris vt
laicus,sapiebas vt laicus , cogitabas vt laicus , iam verò cū
factus sis vir,& quidē Presbyter,hoc est senex,quidni eua-
cues quæ sunt paruuli ? quæ sunt Laici? quæcunq. leuitatē
sapiunt? teq. veluti senem in populo,morum vtiq. grauita-
c *Sap*. 4. te venerabilem exhibeas? [c] Senectus enim Venerabilis non
diuturua,neq. annorum numero computata, cani autèm
sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata :
d *Prou*. 29. [d] siue ergò irascaris,siue rideas, siue sedeas , siue incedas ,
e [e] sta in gradu tuo,& decus grauitatis tuæ ne dimittas . Si
f *Iob*. 8. [f] rideas, non impleatur risu os tuum , & labia tua iubilo,
g *Prou*. 14. [g] sed risus tuus,dolore quasi seu potiùs seueritate miscea-
h *Eccl*.21. tur, [h] fatui enim est in risu exaltare vocem suam , nimirùm
i *Eccl*.7. [i] sicut sonitus spinarum ardentium sub olla,sic risus stulti ,
k *Eccl*.21. [K] Sapiens vix tacitè ridebit,talis erat risus S. Iob, qui de se
l *Iob*. 29. ait; [l] Si quandò ridebā, coram eis non credebant,quia lux
vultus mei non cadebat in terram . Similiter nec decet Sa-
m *Tit*.1. cerdotem [m] esse iracundum quamuis aliquandò melior sit
n *Eccl*. 7. ira risu, [n] sit omnis homo , præsertim Sacerdos tardus ad
o *Iab*. 1. iram , [o] iracundia enim viri , iustitiam Dei non operatur ,
p *Psalm*. 2. verum [p] si fortè exarserit in breui ira tua [q] impetum con-
q *Prou*.2. citati spiritus ità cohibeas, [r] vt neq. à facie tua exardescat
r *Psal*.17. ignis,neq. ascendat fumus à facie iræ tuę, [s] neque contur-
s *Psal*.30. betur in ira oculus tuus, neq. extollas vocem tuam , [t] ità
t *Es*. 58. vt audiatur in excelso clamor tuus, [u] fatui enim est statim
u *Prou*. 12. indicare iram suam , [x] nam totum spiritum suum profert
x *Prou*.29. stultus,qui autem callidus est dissimulat iram . In incessus
quoque grauitate, maturitatem mentis ostendat Ecclesia-
sticus , alias incompositio corporis inæqualitatem exhibet
y *Prou*.6. animi. [y] Homo apostata , dicit Sapiens , & vir inutilis an-
z *Prou*. 5. nuit oculis , terit pede , digito loquitur , [z] Vagi sunt gres-
sus eius, incessus eius modò citus, modò tardus, vir autem
a *Prou*. 4. grauis nec concito nimis,nec lento gradu ambulat , [a] sed

ità

ità vt palpebræ eius præcedant gressus eius, [b] secus acriter arguit Dominus filias Sion, eò quòd ambulent extento collo, & nutibus oculorum, quod eant & plaudant, & pedibus suis composito gradu incedant. Quid si Sacerdotes ad sonitum citharæ in choreis nuptiarum leuiter cum puellis saltantes videres? Audite filij disciplinam Patrum vestrorum super hoc, Presbyteri (ait Concilium Agatense in decretis à Gratiano relatum) Diaconi, Subdiaconi, vel deinceps quibus ducendi vxores licentia modo non est, etiàm alienarum nuptiarum conuiuia deuitent, nec his cœtibus misceantur, vbi amatoria cantantur, & turpes aut obsceni motus corporũ in choreis & saltationibus efferuntur, ne auditus & obtutus sacris mysterijs deputati, turpium spectaculorum, atquè verborum cogitatione polluantur, [c] Præueniant Principes scilicet Angeli coniuncti psallentibus Clericis in medio iuuencularum non ludẽtium aut citharizantium in citharis suis, sed tympanistriarum, hoc est animarum seipsas per corporis castigationem & mortificationem pulsantium. Cæterùm puellarum saltantium choris turpe sit Sacerdotibus interesse, à quibus abstinere, mulier quoque honestum putauit dum ait, [d] Tu scis Domine, quia nunquàm cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in leuitate ambulant participem me feci. [e] Infantium est non senum lusibus exultare. Arbitratur fortassè quis Ecclesiasticus gloriosus haberi apud eos, qui eum egregie ludentem veluti Samson adspectant? Audi quo te ludibrio habeant. [f] Michol filia Saul vxor Dauid prospiciens per fenestram vidit Regem subsilientem, & saltantem coràm arca Domini, prospexit, & despexit eũ in corde suo, & ait ad illum, Quàm gloriosus fuit hodie Rex discooperiens se antè ancillas seruorum suorum, quasi si nudetur vnus de scurris. [g] & tamèn illa saltatio non ex libidine aut leuitate, sed ex virtute, atque in Deum pietate pendebat, [h] caueat igitur Clericus ne sedeat cum concilio

b *Es.* 3.
c *Psal.* 67.
d *Tob.* 3.
e *Tob.* 21.
f 2. *Reg.* 6.
g *Iudith.* 16
h *Psal.* 25.

vanitatis, & cum leuia gerentibus, aut cum saltatricibus
i *Exo.22.* non introeat, [i] neque cum illis qui sedent manducare, & bibere, & surgunt ludere & saltare.

De Disciplina veri Ecclesiastici in loquendo. Rapsodia IX.

a *Eccl.4.* QVIA [a] in lingua sapientia dignoscitur, & sensus, & scientia, & doctrina in verbo sensato, nam & loquela tua manifestum te facit, cauendum
b *Eccl.2.* tibi super omnia, [b] ne indisciplinatæ loquelæ assuescat os tuum, est enim in illa verbum peccati vsque
c *Iac.1.* adeò, vt [c] si quis existimet se religiosum esse, & non refre-
d *Iac.3.* nat linguam suam, huius vana sit religio, è contra, [d] si quis in verbo non offendit, ille perfectus est. Verum hoc adeò
e *Iac. 3.* difficile est, vt [e] omnis quidèm natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, cæterarumq. belluarum à natura humana per disciplinam dometur, & domita sit, linguam au-
f *Eccl.19.* tèm nullus hominum domare possit. [f] Quis est enim, qui
g *Prou.16.* non deliquerit in lingua sua? [g] Vndè licet hominis sit præ-
h *Eccl. 22.* parare animam, sed [h] Domini est gubernare linguam. Nec
i *Psal.38.* sufficit, tamen si cogitando intra te dixeris, [i] custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea, nisi addas, &
k *Eccl.22.* dominum deprecari, vt hoc valeas perficere. [K] Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum,
l *Psal. 140.* vt non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me? [l] Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs
m *Prou. 13.* meis. Porrò [m] qui custodit os suum, custodit animam suam, qui autem inconsideratus est ad loquendum sentiet mala.
n *Pro. 25.* [n] Nam sicut vrbs patens, & absque murorũ ambitu, ità vir
o *Prou. 10.* qui non potest in loquẽdo cohibere spiritũ suum. [o] Et quidem qui moderatur labia sua, prudentissimus est, cõsiderat enim, quantum, quis, cui, quid, quomodo, quãdo loquatur.

Nempè

Nempè de primo dicit [p] ſapiens. Noli verboſus eſse in multitudine Presbyterorum, & non iteres verbum in oratione, [q] ſit omnis homo tardus ad loquendum, [r] præſertim autèm ſi ſis adoleſcens, loquere vix in tua cauſa, ſi bis interrogatus fueris, habeat caput reſponſum tuum. Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi gratia, in multis eſto quaſi inſcius, & audi tacens ſimul & quærens. In medio magnatorum, ne multum præſumas loqui, & vbi ſunt ſenes, ne multum loquaris, [ſ] quia in multiloquio non deerit peccatum. [t] Qui autèm loquacitatem cohibet, extinguit malitiam.

p Eccl. 7.
q Iac. 5.
r Eccl. 32.
ſ Prou. 10.
t Eccl. 19.

Videte etiàm quid loquamini, ſi quidèm [u] labia imprudentium ſtulta narrabunt; Verba autèm prudentium ſtatera ponderabuntur. [x] Antè omnia fratres chariſsimi, fornicatio, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis ſicut decet Sanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem nō pertinet, ſed magis gratiarum actio. [y] Prophana, & inaniloquia, ſtultas & ſine diſciplina quæſtiones deuitate, ſcientes quia generant lites, Seruum autèm Chriſti non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati. De cætero cuſtodite vos [z] à murmuratione, quæ nihil prodeſt, & à detractione parcite linguæ, quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit. [a] Verba improperij & contumeliæ proximo tuo ne dicas, & ne premas illum in repetendo, quia [b] homo aſſuetus in verba improperij, in omnibus diebus ſuis non erudietur.

u Eccl. 21.
x Epheſ. 5.
y 2. Tim. 2.
z Sap. 1.
a Eccl. 31.
b Eccl. 23.

[c] Iurationi ne aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa, ideo noli [d] iurare, neq; per cælum, neq; per terram, neq; aliud quodcunq; iuramentum. [e] Nominatio quoq; Dei non ſit aſsidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiſcearis, quoniam non eris immunis ab eis. Vir namq; multum iurans implebitur iniquitate, [f] ſit ergò ſer-

c Ibidem
d Iac. 5.
e Eccl. 23.
f Iac. 5.

mo vester, est, est, non, non, vt non sub iudicio decidatis. [g] Labia mendacia longè fac à te, assiduitas enim mẽdacij non erit bona, sed indecens & turpis valdè ei potissimum: qui assumit quotidiè verbum Dei per os suum. à mendace autem quid verum dicetur? [h] Vere opprobrium nequam in homine præsertim Ecclesiastico, mendaciũ, & in ore indisciplinati assiduè erit, sed & mores hominũ mẽdaciũ sine honore, & cõfusio illorũ cum ipsis sine intermissione. [i] Nolite ergò velle mentiri omne mendacium. [k] Deniq; omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia, sed; si quis bonus sermo ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. [l] Noli etiàm citatus esse in lingua tua, in ore siquidèm fatui cor eius, sed in corde sapientis os eius, & ideò [m] in labijs sapientis inuenitur sapientia, [n] quia cor sapiẽtis erudit os eius, & [o] aqua profundà, verba ex ore viri, os verò stulti contritio eius, & labia ipsius ruina animæ eius, nimirum [p] os lubricum operatur minas. [q] Sit ergò manus tua super os tuum, vt non capiaris in verbo indisciplinato, & confundaris. [r] Non clamabis, nec audietur vox tua foris, non eris tristis, neq; turbulentus in loquendo. [s] Sed congregationi affabilem te facito, & responde vnicuiq; pacificè in mansuetudine. Nam [t] verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua eucharis in bono homine abundat, Obseruandum insuper est tempus in loquendo, est enim [u] tempus loquendi, & tempus tacendi. [x] Est autem tacens non habens sensum loquelæ, & est tacens sciens tempus apti temporis. Homo sapiens tacebit vsq; ad tempus, lasciuus autem & imprudens, non seruabunt tempus. Odibilis verò qui procax est ad loquendum, & ex ore fatui reprobatur parabola, non enim dicit illam in tempore suo. E contra [y] mala aurea in tectis argenteis, qui loquitur Verbum in tempore suo, & ideò [z] honor

g *Eccl.* 7.
h *Eccl.* 20.
i *Prou.* 6.
k *Ephe.* 4.
l *Eccl.* 4.
m *Prou.* 10.
n *Prou.* 16.
o *Prou.* 18.
p *Prou.* 26.
q *Eccl.* 5.
r *Es.* 42.
s *Eccl.* 4.
t *Eccl.* 6.
u *Eccl.* 3.
x *Eccl.* 20.
y *Prou.* 25.
z *Eccl.* 5.

& gloria in sermone sensati, quia [a] non retinet verbum in tempore salutis, nec abscondit sapientiam in decore suo. Nec parum refert, quis cui loquatur. [b] Nam non decent stultum verba composita. [c] Et cum viro irreligioso tractandum de sanctitate, cum iniusto, de iustitia, cum muliere, de his quæ æmulatur, cum timido, de bello; cum negotiatore de traiectione, cum emptore de venditione, cum viro liuido de gratijs agendis, cum impio de pietate, cum inhonesto de honestate, cum operario agrario de omni opere, cum operario annuali de anni consummatione, cum seruo pigro de multa operatione, cum peccatore de pœnitentia, cum omnibus de salute animæ, [d] verba vitæ æternæ habeas. Et vt vno verbo dicam, [e] Sermo vester fratres mei semper in gratia sit sale conditus, vt sciatis quid & quomodo oporteat vos vnicuiq; respondere. [f] Sic gloria vestra semper innouabitur, qui vos audient expectabunt sententiam, & intenti tacebunt ad consilium vestrum, verbis vestris addere nihil audebũt, & super illos stillabit eloquium vestrum, expectabunt vos sicut pluuiam, & os suum aperient, quasi ad imbrem serotinum.

a *Eccl.* 4.
b *Prou.* 17.
c *Eccl.* 37.
d *Ioan.* 6.
e *Colos.* 4.
f *Iob* 2.

De Disciplina veri Ecclesiastici in Conuiuijs. Rapsodia X.

[a] NOLI auidus esse in omni epulatione, qui præcipuè sobrie esse iuberis. nec ad conuiuium facilè accesseris, antequàm voceris. [b] Melius est enim ac decentius Ecclesiasticum ire ad domum luctus, quam ire ad domum conuiuij, in illa namq; finis admonetur cunctorũ hominum, & viuens cogitat homo quid futurus sit. Et nihilominùs vocatus [c] noli esse in conuiuijs potatorum, nec in commessationibus eorum, qui carnes ad vescẽdum con-

a *Eccl.* 37.
b *Eccl.* 7.
c *Prou.* 23.

ferunt,

ferunt, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis [d] qui conſurgunt manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſq; ad veſperam, [e] qui velut irrationabilia pecora poſt carnem ambulant, in concupiſcentia immunditiæ, voluptatem exiſtimantes diei, delitias coinquinationis, & maculæ delitijs affluentes, in conuiuijs ſuis luxuriantes [f] hi ſunt in epulis quotidiè ſplendide conuiuantes, ſine timore ſemetipſos paſcentes. [g] Sufficit enim preteritum tempus ad voluntatem gentium cōſumandam his, qui ambulauerunt in luxurijs, deſiderijs, vinolentijs, commeſſationibus, potationibus, & idolorum cultibus, in quo admirantur non conuenientibus vobis in eandem luxuriæ confuſionem. Sed [h] ſi quandò habebitis epulum propter dies feſtos & calendas, & anniuerſaria, & collectas [i] conuenientibus vobis in vnum primū ſit ſacra peragere, poſtea dominicam cęnam manducare, nec aliquis debitam præueniens horam, ſuam ſingulariter cænam præſumat ad mãducandum; ſed cum conuenitis ad manducandum inuicem, expectate, ad prandium autèm vocati, non ſit in poteſtate cuiuslibet [K] recumbere in primo, vel in nouiſsimo loco, ſed vnuſquiſq; [l] ſedeat in gradu ſuo, primogenitus iuxtà primogenita ſua, minimus iuxtà ætatem ſuam, [m] honore ſemper inuicem præuenientes, [n] & hymno dicto, ciboq; & potu per eum, qui præeſt, benedicto, [o] manducate quæ apponuntur vobis. [p] Tu verò ne extendas manum tuam prior, ne inuidia contaminatus erubeſcas, vtere quaſi homo frugi his, quæ tibi apponuntur, vt non manducãs multum, odio habearis. Et ſi in medio multorum ſedes, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poſcas bibere. Diligentes in vino noli prouocare, multos enim exterminauit vinum. [q] Vide ne fortè grauetur cor tuum crapula & ebrietate. [r] Non te offendas ſuper omnem eſcam; in multis enim eſcis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit ad choleram. [ſ] Ceſſa prior ab edendo cauſa diſci-

d *Eſa.* 5.
e 2. *Pet.* 2.
f *Iud.* 1.
g 1. *Get.* 4.
h *Num.* 10
i 1. *Cor.* 11.
K *Luc.* 16.
l *Gen.* 43.
m *Rom.* 12.
n *Matth.* 26
o *Luc.* 10.
p *Eccl.* 31.
q *Luc.* 21.
r *Eccl.* 37.
ſ *Eccl.* 31.

plinæ, & noli nimius esse nè fortè offendas. [t] Cithara & Lyra, & Tympanū, & Tibia non sint in conuiuijs clericorum, proculq; sint detrahentia labia, & subsannationes, & illusiones præsertim absentium, sed magis sacrarum lectiones scripturarum, ac diuini verbi collationes, vt dum fauces sumunt cibum, aures esuriant Verbum Dei, quia hoc est præceptum Domini, & Sanctorum Patrum, qui Spiritu sancto inspirāte decreuerunt [u] non oportere Clericos à Presbyteris vsq; ad Diaconos, ac deinceps ordinis Ecclesiastici ordinis omnes vsq; ad ministros tabernas intrare, vel cōmessationes, & ebrietates, seu conuiuia etiàm in honorē Beatissimorum Martyrum celebrare. quandò autèm ad alicuius defuncti anniuersarium diem conuenerint, aut quacunq; vocatione ad collectam, nullus eorum vllatenus se inebriare præsumat, nec precatus amore Sanctorum, aut ipsius animæ bibere, aut alios ad bibendum cogere, vel se aliena precatione vino ingurgitare. Non ibi plausus, non risus inconditus, non inanes fabulæ referantur, non turpia ioca, vel vrso, vel tornatricibus ante se fieri patiantur, nec laruas Dæmonum ante se ferri consentiant, quia hoc Diabolicum est, & sacris canonibus prohibitum. Refecti autèm, hymno dicto, & gratijs peractis se contineant, præsertim in talibus locis, vt [x] non vituperetur ministerium nostrum.

t *Es*. 42.

u Cōcil. Grā gren. relig. à Grat. in decret.

x 2. *Cor*. 6.

De scientia qua ornatus esse debet verus Ecclesiasticus, Rapsodia XI.

QVID verò si bonitatem, si disciplinam, [a] si æmulationem Dei habueritis, sed non secundū scientiā, vere non sufficit? [b] Scientia insuper vobis necessaria est ò Ecclesiastici, [c] quippè qui constituti

a *Roman*. 10

b *Hebr*. 10.

c *Psalm*. 2.

d *Luc.* 1. eſtis à Deo ſuper Sion montem ſanctum eius vtiq; [d] ad dā-
dam ſcientiam ſalutis plebis eius in remiſsionem peccato-
rum eorum. illuminare his qui in tenebris & in vmbra mor-
tis ſedent, ad dirigendos pedes eorum in viā pacis, quibus
e *Epheſ.* 3. vt potè [e] Sanctorum præfectis data eſt gratia hæc in genti-
bus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illumi-
nare omnes quę ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſę-
f 1. *Pet.* 3. culis in Deo [f] quos etiàm oportet eſſe paratos reddere ra-
tionem omni poſcenti eos ſatisfactionem de ea fide, & ſpe,
quæ in vobis eſt, & in Eccleſia. Et quidèm quoad cæte-
g *Eſ.* 53. ros Chriſti fideles, ſcriptū eſt in Prophetis: [g] Erunt omnès
h *Ioan.* 19. docibiles Dei. Vobis autèm dicitur Eccleſiaſtici. [h] Eun-
i *Ioan.* 20. tes docete omnes gentes, [i] docentes eos ſeruare omnia,
k *Gen.* 3. quæcunq; mandaui vobis. [K] Eritis ergò ſicut Dij ſcientes
l *Ezech.* 44. bonum & malum. Vobis enim dicit Dominus. [l] Doce-
bunt populum meum, quid ſit inter ſanctum & pollutum,
& inter mundum & immundum oſtendent eis, & cum fue-
rit controuerſia ſtabunt in iudicijs meis, & iudicabunt le-
m *Malach* 2. ges meas, [m] & ideò labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam,
& legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exer-
n *Mich.* 4. cituum eſt. hoc namq; eſt, quod dicunt inter gentes, [n] Ve-
nite aſcendamus ad montem Dei, & ad domum Dei Iacob,
ſcilicet ad templum, & docebit nos Dominus, per Sacer-
dotes videlicet, de vijs eius, & ibimus in ſemitis eius, quia
de Sion, hoc eſt ex ordine Eccleſiaſtico exibit lex, & verbū
Domini de Ieruſalem. Sic enim ſcriptum eſt, per Prophe-
o *Aggæi* 2. tam. [o] Interroga Sacerdotes legem, & reſpondebunt ti-
bi. nimirum præceperat olim Deus per Moyſen dicens.
p *Deut.* 17. [p] Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpe-
xeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, le-
pram & lepram, venies ad Sacerdotes Leuitici generis, &
ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæreſq; ab eis, qui
iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcunq; di-
xerint qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & do-

cuerint te iuxtà legem eius, sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neq; ad sinistram. Qui autèm superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille. [q] Exindè increuit mos in Israel, & consuetudo seruata est in omnibus gentibus, vt in ijs quæ ad Dei cultum ac religionem pertinent, recurrat populus ad Sacerdotes, [r] quærens sententiam Dei. Cumquè acciderit eis aliqua disceptatio, confugiant ad Ecclesiasticos, vt iudicent inter eos, & ostendant eis præcepta Dei, & legem eius. [s] Vnde & Philistijm multifariam multisq; modis à Deo percussi propter arcam Dei, quam detinebāt captiuam, nescientes quid de illa fieri oporteret, vocauerunt Sacerdotes dicentes. Quid faciemus ad arca Domini? indicate nobis, quomodò remittamus eam in locum suum, & consilium dederunt eis, vt remitterent eam auro, & donis, ornatam, & onustam. [t] Assyrijs quoq; in Samariam vt eam habitarent traductis, cum immisisset in eos Dominus leones, qui eos interficerent, eò quòd ignorarent ritum Dei terræ: consilio Sacerdotum inito, præcepit Rex Assyriorum dicens: Ducite illuc vnum de Sacerdotibus, quos inde captiuos abduxistis, vadat & habitet cum eis, & doceat eos legitima Dei terræ, & factum est ità. [u] Herodes etiàm turbatus. eò quòd audisset à Magis natum esse Christum Regem Iudæorum, congregans omnes Principes Sacerdotū & Scribas populi, sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur. [x] Sed & Iudæi miserunt ab Ierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum, Tu quis es. quinimmò discipulis varias vulgi de Christo opiniones eidem referentibus. [y] Vos autem, inquit ipsemet, quem me esse dicitis? quasi diceret, si vulgus ignorans errat, non mirum, [z] vos autem, quibus datum est nosse mysteria regni Dei, quem me esse dicitis? Deniq; vox est vniuersi populi legem requirētis ex ore Sacerdotis di-

q *Iud.* 11.
r *Exod.* 15.
s 5. *Reg.* 6.
t 4. *Reg.* 17.
u *Matth.* 2.
x *Ioan.* 1.
y *Matth.* 16.
z *Luc.* 8.

centis

a *Luc.* 10. centis. [a] Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? Si tu [b] verax es, viam Dei nos in veritate doce, [c] quia credibile non est, vt tu sis magister in Israel, & hæc ignores. Si enim [d] perit lex à Sacerdote, consilium à sapiente, & Sermo à Propheta [e] Domine ad quem ibimus? ad hos namq; nos remittit Salomon dicens: [f] Ne despicias narrationem Presbyterorum sapientum, & in prouerbijs eorum conuersare; ab ipsis enim disces sapientiam, & doctrinam intellectus, ipsi enim didicerunt à Patribus suis. Porrò in veteri testamento inter cætera ornamenta, [g] Pontifex rationale ferebat in pectore, in quo scriptum erat MANIFESTATIO, & VERITAS, quia nimirum in pectore Sacerdotis manifesta debet esse cognitio veritatis. [h] Hinc etiam vectes quibus arca portabatur iugiter annulis erant inserti, vt quùm arca esset portanda, nulla fieret de intromittendis vectibus mora, quia Sacerdotes, per quos Ecclesia circunfertur, Sacris litteris oportet esse eruditos, ne tunc quærant discere, quùm ex officio alios debeãt erudire; vnde ad eos factus est Sermo qui scriptus est. [i] Erudire, erudire Ierusalem, nè fortè recedat anima mea à te, & ponam te desertam terram, & inhabitabilem [K] vt ergò habeatis scientiam discernendi inter Sanctum & prophanum, & inter pollutum & mundum, doceatisq; filios Israel omnia legitima mea dicit Dominus quæ loquutus sum eis, non recedat volumen legis meæ ab ore vestro. [l] Meditabimini in eo die ac nocte, & eritis tanquàm lignum quod plantatum est secus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano, & fructum de ligno scientiæ boni, & mali dabitis in tempore opportuno. [m] Accipite disciplinam, & non pecuniam, doctrinam magis quàm aurum eligite. [n] Melior est enim sapientia cunctis opibus pretiosissimis. [o] Sed & omne aurum in cõparatione illius arena est exigua, & tanquàm lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. [p] Quam speciosum enim canitiei iudicium, &

a *Luc.* 10. b *Matth.* 22. c *Iob.* 3. d *Hier.* 8. e *Iob.* 6. f *Eccl.* 8. g *Exod.* 28. h *Exod.* 25. i *Hier.* 6. K *Leu.* 10. l *Psal.* 5. m *Prou.* 10. n *Prou,* 8. o *Sap.* 7. p *Eccl.* 25.

Presbiteris cognoscere consilium, quibus vtiq; dicitur. [q] Ecce docuisti multos, manus lassas roborasti verbis tuis, vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua trementia confortasti, & nihilominùs [r] qui docti fuerint fulgebũt quasi splendor firmamẽti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

q Iob. 4.
r Dan. 12.

Quibus præsertim scientijs oportet verum Ecclesiasticum esse eruditum. Rapsodia XII.

[a] SED licet nè Ecclesiasticis omni vento doctrinæ circumferri? Planè quædam scientia est, quæ veritatem habet nõ autem pietatem, veluti si quis artem nouerit, Grammaticam vel Dialecticam, recti loquendi rationem habet, recteq; inter vera & falsa dijudicandi, Geometria, item Arithmetica & Musica habent in sua scientia veritatem, sed non est illa scientia, scientia pietatis. Scientia vero pietatis simul & veritatis est, nosse legem, intelligere Prophetas, Euangelio credere, Apostolos non ignorare. [b] Doctrina quippè nostra non in sapientia hominum, sed in virtute Dei, [c] non in scientia quæ inflat, sed in charitate quæ ædificat, nec alienum tamẽn est à sapientia Sacerdotis, si sæcularibus ad horam litteris operam præstet. Alioquin turbat acumen legentium, & deficere cogit, qui eos à legendis omnino sæcularibus libris existimat prohibendos, ex quibus si qua inuenta sunt vtilia. quasi sua sumere licet; proptereà & Moyses, & Daniel sapientia Chaldæorum, & litteris Aegyptiorum fuerunt eruditi, quorum tamen superstutiones & delitias horruerant. [d] Et ipse etiàm

a Ephes. 4.
b 1. Cor. 2.
c 1. Cor. 8.
d Actor 17.

Doctor gentium suis vel scriptis vel dictis indidit aliquot
e *Exod.* 3. carmina Poetarum. [e] Quin & ipse Dominus præcipit filijs Israel vt expoliarent Aegyptios auro & argento, moraliter instruens, vt siue aurum sapientiæ siue argentum eloquentiæ apud Poetas & mundi sapientes inueniremus, in vsum salutiferæ scientiæ verteremus. Deniq; omnis splendor Rhetoricæ eloquentiæ, omnis Poeticæ loquutionis modus, quælibet varietas decoræ pronuntiationis non nè à di-
f 1. *Reg.* 2. uinis scripturis, & ab eo sumpsit exordium, [f] qui omnium scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes,
g 1. *Cor.* 2. [g] in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientię Dei absconditi? Quod igitur non ad voluptatem, sed ad eruditionem aliquandò Philosophorum dogmata, seu Poetarum carmina percurratis, laudo vos Ecclesiastici, sed quod Sacerdotes Dei, omissis Euangelijs & Prophetis, comædias studiosè legant, amatoria Bucolicorum versuum verba decantent, Virgilium semper in manibus habeant, inutiles, & curiosas Philosophorum quæstiones, ac subtilitates opportunè importunè perscrutentur, in hoc
h *Psalm.* 4. non laudo, & enim non nè hoc est [h] diligere vanitatem & quærere mendacium. in sophisticis Dialecticæ deceptionibus noctu, diuquè torqueri, oculos trans cælum leuare, & vltra profundum abyssi inane quoddam, & imaginarium vacuum demergere, Iambos puerorum instat struere, metrorum syluam in suo corde studiosus distinguere & congerere, Prisciani leges circà Grammaticam superstitiosius, quàm Sanctorum Patrum circa mo-
i *Iud.* 1. res documenta seruare? [i] Porrò isti qui temporibus nostris subintroierunt impij homines, Dei nostri gratiam in luxuriam transferentes. nonnè ex Grammaticorum,
K 1. *Reg.* 2. Oratorumq; scholis exierunt? qui [K] multiplicantes loqui
l 1. *Cor.* 2. sublimia & gloriantes, [l] in sublimitate sermonis, & inper-
m 2. *Cor.* 10 suasilibus humanæ sapientiæ verbis extulerunt sese aduersus scientiam Dei, & ausi sunt verba cælestis oraculi

restrin-

restringere sub regulis Donati,[n] & volétes nihilominùs esse n 1.*Tim.* 1.
legis Doctores cum non intelligerent, neq; quæ loquun-
tur, nequè de quibus affirmant, aberrantes conuersi sunt
in vaniloquium, adulterantesquè potiùs quàm exponen-
tes Verbum Dei [o] narrauerunt iniqui fabulationes, sed o *Psal.* 118.
non vt lex tua Domine [p] quia enim non acquiescunt sanis p 1.*Tim.*6.
sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secun-
dum pietatem est orthodoxæ fidei, superbi sunt, nihil scien-
tes sed languentes circa quæstiones & pugnas verborum,
ex quibus oriuntur inuidię, contentiones, blasphemiæ, su-
spiciones malæ, conflictationes hominum mente corrupto-
rum, qui veritate priuati sunt existimantium quæstum
esse pietatem. [q] Cæterùm secundum eorum doctrinam in- q 2.*Tim.* 3.
continentes sunt, immites, proterui, tumidi, voluptatum
amatores magis quam Dei, habentes speciem quidèm
pietatis, veritatem autèm eius abnegantes, semper discen-
tes nunquàm autèm ad scientiam veritatis peruenientes.
Quemadmodum enim Ioannes, & Mambres restiterunt
Moysi, & hi resistunt veritati homines mente corrupti, re-
probi circa fidem. [r] Hi sint nobis sicut Ethnici & Publica- r *Matth.* 18
ni, quia non audiunt Ecclesiam. [s] Nos autèm quibus Deus s 2.*Cor.* 4.
dixit de tenebris lumen splendescere, & illuxit in cor-
dibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei,
[t] non accepimus spiritum huius mundi, sed spiritum qui t 1. *Cor.* 2.
ex Deo est vt sciamus quæ à Deo donata sunt. nobis, nec
confidimus in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in do-
ctrina spiritus; spiritualibus spiritualia comparantes, &
[u] quia ab infantia sacras litteras nouimus, assequuti per u 2. *Tim.*3.
gratiam Catholicæ fidei sapientiam, in his permaneamus
quæ didicimus scientes à quo didicimus, à Spiritu scilicet
sancto, [x] qui loquutus est nobis per os sanctorum, qui à x *Luc.* 1.
sæculo sunt Prophetarum eius. [y] Omnis autèm doctrina y 2.*Tim.* 3.
diuinitùs inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum,

ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus huic attendere debet verus Ecclesiasticus, [z] vt potens sit exhortari in doctrina,& eos qui contradicunt redarguere, [a] destruere omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigere omnem intellectum in obsequium Christi [b] sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens Ecclesiasticus, in Prophetis vacabit, narrationem virorum nominatorum conseruabit, & in versutias parabolarum simul introibit, occulta prouerbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conuersabitur. [c] Fratres scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere, & bene dicitis, [d] nam verba vitæ æternæ habent, [e] has meditare Sacerdos, in his esto, attende lectioni, exhortationi & doctrinæ, vt profectus tuus manifestus sit omnibus, insta in illis, hæc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt.

z *Tit.* 1.
a 2. *Cor.* 10.
b *Eccli.* 39.
c *Iob.* 5.
d *Iob.* 6.
e 1. *Tim.* 4.

Quam indecens sit Ecclesiastico ignorantia. Rapsodia XIII.

[a] SED non in omnibus Ecclesiasticis est scientia. [b] Ignorantiam enim Dei, diuinarumquè rerum quidam habent nescientes scripturas, nequè virtutem Dei, de quibus benè prophetauit Isaias dicens; [c] Et erit vobis visio omnium scilicet, Mysteriorum Dei, sicut verba libri signati, & dabitur liber nescienti litteras, & dicetur ei, lege. & respondebit, nescio litteras. [d] Quomodo enim hic litteras scit cum non didicerit?

a 1. *Cor.* 8.
b 1. *Cor.* 15.
c *Isai.* 19.
d *Iob.* 8.

dicerit? Sed qui non cognouisti litteraturam, quomodo [e] per meditationem introibis in potentias Domini? [f] Et quod peius est, plurimi se existimant scire aliquid,& nondum cognouerunt quemadmodum oporteat eos scire. Et quidem ignorantia, cunctorum mater errorum maximè Sacerdotibus Dei est euitanda, qui docendi in populo officium susceperunt, & [g] super cathedram Moysi sedent. Si enim vix in laicis tolerabilis videtur inscitia, quantò magis in Ecclesiasticis, nec excusatione digna est nec venia? Quoniam [h] si per ignorantiam cæcitatis populo ducatum prçstiterint, vtiquè ambo in foueam cadent, ita vti de illis dici posit obscurentur oculi eorum per ignorantiam, scilicet Sacerdotum, & dorsum eorum semper incurua, scilicet Laicorum, quum enim obscurantur oculi eorum qui præsunt facile inclinantur sequentes ad ferenda onera peccatorum. [i] Lucerna corporis tui Domine, nimirũ Eccsiastice est oculus tuus, scilicet Sacerdos. [K] Oculus, inquit, fui cæco,& pes claudo. Si oculus tuus (de quo dixisti; [l] Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei) fuerit simplex non habens aliquam partem tenebrarum, videlicet, peccatum & ignorantiam, corpus Ecclesiæ erit lucidum totũ, sed si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. [m] Sacerdotes, vos estis lux mundi. Laici autèm, & huius sæculi homines [n] quasi tenebræ sunt super faciem abyssi. [o] Si ergò lumen quod in mundo est, per ignorantiã tenebræ sunt, tenebræ ipsæ Laicorum quantæ erunt (Vos estis quorũ doctrina fulget Ecclesia, vt Sole, Luna. [p] Si ergo Sol per ignorantiã atq; peccatũ obscurabitur, vtiq; & Luna nõ dabit lumen suũ. [q] Si Sol conuertitur in tenebras, statim Luna cõuertitur in sanguinẽ. [r] Nam vbi nõ est litteratus Sacerdos, vbi non est verba legis ponderans, vbi non est doctor paruulorũ, qui eos verbo catechizet, ibi videbis inquit Propheta, populũ imprudẽtẽ, in quo nulla est sapientia nescientem Dominũ,& præcepta eius non custodientẽ. [ſ] Quare &

e *Psal.* 70.
f 1. *Cor.* 8.
g *Matth.* 23.
h *Matth.* 25.
i *Matth.* 6.
K *Iob.* 29.
l *Zacch.* 2.
m *Matth.* 5
n *Gen.* 1.
o *Matth.* 6.
p *Matth.* 24
q *Iobel.* 2.
r *Isa.* 33.
ſ *Osee* 4.

t *Deut.*32. enim maledictum & mendacium,& homicidum,& furtum,
& adulterium inundauerunt,& sanguis sanguinẽ tetigit? [t]
Interroga patres tuos & annũtiabunt tibi,maiores tuos, &
u *Ose.* 4. dicent tibi. [u] Non est enim,inquiunt,veritas,non est scien-
tia Dei in terra,conticuit populus meus. eò quod non ha-
x *Isa.* 5. buerit scientiam. [x] propterea in errores hæresum captiuus
ductus est populus meus dicit Dominus, quia non habuit
y *Tren.* 4. scientiã,& nobiles eius interierũt fame, [y] quia petierunt pa-
z *Luc.* 24. nem,& non fuit qui frangeret eis, [z] vt cognoscerẽt Domi-
num in fractione panis,in interpretatione sacrarũ litterarũ
a *Isai.* 5. [a] & multitudo eius siti exaruit, [b] puteus altus est,neq; ipsi
b *Ioh.* 4. intellectũ in quo haurirent habuerũt, [c] neq;pastores qui sci
c *Gen.* 29. rẽt amouere lapides quæstionũ,ac difficultatũ ab ore putei
diuinarũ litterarũ, & adaquare greges. [d] Propterea impijs
d 2.*Tim.*3. hereticis proficientibus in peius errantibus,& in errorẽ mit
e *Isa.* 5. tentibus, [e] dilatauit infernus animã suã ad deglutiendã in-
numirabilem populi multitudinẽ, hæreticorũ errore dece-
ptam,& aperuit os suum absq; vllo termino, & descendent
fortes eius,& sublimes gloriosiq; eius ad eum. Hoc malum
f *Hier.* 2. fecit alias inscitia Sacerdotum. [f] Sacerdotes,ait Dominus,
non dixerunt vbi est Dominus,& tenentes legem nescierũt
me,& pastores præuaricati sũt in me,& ideò Propheta,hoc
g *Sap.* 12. est hæretici prophetauerunt in Baal,& idola sequuti sunt. [g]
Nescierunt sacramenta Dei,nequè mercedem sperauerunt
iustitiæ,nec iudicauerunt honorem animarum sanctarum.
h *Heb.* 5. [h] Et quum deberent esse magistri propter tempus simul &
munus Sacerdotij quo funguntur,adhuc indigẽt vt doceã-
i *Ose.* 4. tur,quæ sint Elementa exordij sermonum Dei. [i] Ideò quia
K 1.*Cor.*14 tu sacerdos (ait Dominus) scientiam repulisti,repellã te ne
l *Psalm.* 49. Sacerdotio fungaris mihi,nã [K] ignorãs ignorabitur. [l] Qua-
re enim tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum
meum per os tuum,qui per negligentiã disciplinæ proiecisti
m *Psalm.* 2. sermones meos retrorsum? [m] Et nunc Sacerdotes intelligi-
te,erudimini,erudimini qui iudicatis terram,apprehendite

disciplinam,& scientiam,ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta, [n] alienati scilicet à vita Dei per ignorantiam, quæ procul sit à vobis. Vobis enim comminatur Dominus dicens. [o] Et erit sicut populus sic sacerdos nimirum ignarus,idcircò visitabo super eum vias eius,& cogitationes eius reddam ei. Si quis autem vult esse verus Ecclesiasticus,non tàm vocabulo quàm merito,imitetur Moysen, imitetur Aaron summum Sacerdotem. Quid enim dicitur de eis? quod nō discedebant de tabernaculo Domini,vt aut à Deo aliquid discerent, aut ipsi populum docerent.

n *Ephes.* 4
o *Osee* 4.

De peccatis Ecclesiasticorum in genere, quod delicta quæ quis in statu Ecclesiastico constitutus perpetrat cæteris paribus grauiora censentur, quam eadem si in statu Laico perpetrasset, & primo quia in gradu sublimiori positus est.

Rapsodia XIV.

OPORTVERAT quidèm Ecclesiasticum [a] virum sine crimine esse,vt alijs præluceret [b] quasi speculum sine macula,quasi veræ bonitatis imago, & Christianæ virtutis exemplar,in quod nihil inquinatum incurreret, cum de illo scriptum sit, quia [c] sanctum Domino vocabitur. [d] Verum quia & ipse circundatus est infirmitate,si casu præoccupatus fuerit in aliquo delicto, [e] vos quidèm qui spirituales estis huiusmodi corripite in spiritu le-

a *Tit.* 1.
b *Sap.* 7.
c *Luc.* 1.
d *Hebr.* 5.
e *Galat.* 6.

f *Gen*. 2. nitatis considerans te ipsum, ne & tu tenteris. [f] Est enim
g *Iob*. 33. & ipse os ex ossibus tuis,& caro de carne tua,qui corripient
h *Matth*.15. se possit obijcere. [g] Ecce, & me sicut, & te fecit Deus ex
i *Rom*. 6. eodem luto. [h] Vos autèm qui sæculares estis, audito
K *Luc*.7. hoc verbo nè scandalizemini. [i] Sed humanum dicite
propter infirmitatem carnis nostræ, [K] nam & nos homines
l *Hebr*. 5. sumus de eodem luto formati, sub tentatione constituti,
Mundi, Carnis,ac Dæmonis. [l] Quis scit si fortè permi-
m *Rom*. 14. sit illum Deus cadere,vt cōdolere possit ijs qui ignorant &
errant? [m] Et quis es tu qui alienū seruū iudicas? ipse qui-
dē Domino suo stat,Dño suo cadit,potēs est enim Deus il-
n *Psal*.118. lū statuere.Non ergò inuicem iudicemus, sed hoc magis iu
o *Iob*. 25. dicet vnusquisq; [n] & à iudicijs Dei timeat, cogitans intra
semetipsum. [o] Ecce Luna nimirum sacerdotalis ampli-
tudo, non splendent, & stellæ hoc est personæ Ecclesiasti-
p *Iob*. 15. cę non sumunt mundæ in conspectu Dei, quantò magis
homo laicus putredo & filius hominis vermis. [p] Ecce qui
seruiunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis, hoc est in
Religiosis viris reperit prauitatem. quantò magis nos sæ-
q *Iob*. 4. culares qui habitamus domos luteas, & terrenum habe-
mus fundamentum? [q] Ecce inter Sanctos eius nemo est
immutabilis, & cæli qui nobis enarrant gloriam Dei non
sunt mundi in conspectu eius. quantò magis ego abo-
minabilis, & inutilis homo, qui bibo quasi aquam ini-
r *Iob*. 10. quitatem? Verumtamèn, [r] Væ mihi Sacerdoti, si im-
s *Prou*. 18. pius fuero, [s] & in profundum peccatorum venero. [t]
t *Gen*. 4. Maior equidèm erit iniquitas mea non queam vt veni-
u *Tren*. 4. niam possit Deus condonare, sed quam vt merear ego
quantum in me est, iuxtà quod dictum est. [u] Et maior
effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum,
quæ subuersa est in momento. tantò siquidèm maior effi-
citur iniquitas Clericorum peccato Laicorum, quantò dif
ferentius præillis nomen hæreditarunt, & primo quidèm
propter eminentiorem quem sortiti sunt ministerij locum.

Nam

Nam qui tolluntur in altum, si cadunt, casu vtique grauiore ruunt. [x] Planè si ceciderit quispiam ex prophana multitudine aut ex infima plebe fortasse non collidetur, quia nec ipse cadit ex alto, & Dominus supponit manum suam. [y] Verum si Sacerdos ex sublimi pinnaculo templi miserit se deorsum, omninò confringetur [z] & fiet ruina eius magna, quia [a] exaltatus humiliatus est, & eleuatus, allisit eum grauis in peccatum lapsus. Propterea Lucifero, [b] qui cum esset in Paradiso Dei [c] in veritate nõ stetit. Lapsum eius mirabilem simul ac miserabilem vsque ad profundum abyssi improperant Angeli dicentes: [d] Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris, corruisti in terram qui dicebas in corde tuo, in cęlum conscendam super astra Dei exaltabo solium meum, ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo, veruntamèn ad infernum detraheris in profundũ laci? simili ferè modo [e] inimicus improperabit Clerico, & irritabit nomen eius in finẽ vitę suę. Si enim (quod Deus auertat) in [f] peccato tuo morieris Ecclesiastice, [g] infernus planè subter te cnoturbabitur in occurus aduentus tui, omnes principes abyssi surgent de solijs suis. Vniuersi respõdebunt & dicent; & sicut & nos vulneratus es, nostri similis effectus es, detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum, subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes, [h] cuius nihilominùs anteà omnis lapis pretiosus erat operimentum. [i] Vereor ne & ipsemet Deus tunc in ira sua arguat te, & statuat contrà faciem tuam dignitatis altitudinem, in qua te collocauerat, & à qua per culpam deiectus es. [k] Tu (dicet) Sacerdos signaculum similitudinis, perfectus decore, plenus sapientia, in delitijs paradisi Dei fuisti, & posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum, scilicet religiosorum hominum spiritu feruentium, ambulasti perfectus in vijs tuis, à die vnctionis tuæ, donec inuenta est in te iniquitas & peccasti, &

x *Psal.* 36.
y *Matth.* 4.
z *Marci* 7.
a *Psal.* 87.
b *Ezech.* 28
c *Ioh.* 8.
d *Isa.* 14.
e *Psal.* 71.
f *Ioh.* 8.
g *Isai.* 14.
h *Ezech.* 28
i *Psal.* 6.
k *Ezech.* 28

eieci te de monte sancto meo, & de medio lapidum igni-
l *Baruch.* 3 torum perdidi te. [l] Quid est Israel quod coinquinatus
es, & cum mortuis deputatus es? Vere quò sanctior locus
ex quo & dignior homo qui labitur, eò magis eius deplo-
m 2. *Reg.* 3. randus est lapsus. Propterea [m] & Dauid amare deflebat
n *Hier.* 31. casum Saul & Ionathæ, & cibum sumere, & consolari [n] no-
lebat quia non sunt. Dicebat enim Rex ad seruos suos. Nũ
ignoratis quod Princeps maximus hodie cecidit in Israel?
o *Tren.* 4. Sed quis non deploret filios Sion [o] inclitos, & amictos au-
ro primo videre quomodo reputati sunt in vasa testea opus
manuum figuli, toto corde defixos in terra inhiare rebus ter
renis, de terra esse, ac de terra cogitare, de terra loqui, cer-
p *Psal.* 80. nere eos qui ditati olim à Deo, [p] ex adipe frumenti, ac de
q *Tren* 4. petra melle saturati in domo Patris cælestis [q] vescebantur
voluptuose, & nutriebantur in croceis, iam [r] vagos & pro-
r *Gen.* 4. fugos super terram, nimirum proiectos à facie Domini,
s *Luc.* 15. [s] cupere satiari de siliquis porcorum, [t] & amplexari ster-
t *Tren.* 4. cora, illa nimirum de quibus Apostolus, [u] hæc inquit om-
u *Philip.* 3. nia arbitratus sum vt stercora, vt Christum lucrifaciam, &
quidèm sicut eò laudabilior est vita S. Iob quò potuit inter
x *Iob.* 1. iniquos, videlicet, [x] in terra Hus, sicut & Loth in terra
Sodomorum esse simplex & rectus, sic eò grauior est culpa
y *Isa.* 26. mali Sacerdotis, quod & in terra [y] sanctorum iniqua ges-
sit. Propterea, sicut Regi Assuero intollerabilis visa est au-
z *Hest.* 7. dacia Aman, [z] quia, inquit, etiàm Reginam in domo mea
me presente vult opprimere. ità per Prophetam conqueri-
tur Deus dicens: [a] Quid est quod dilectus meus in domo
a *Hier.* 11. mea fecit scelera multa? Quis enim dilectus Dei nisi Sacer-
dos? adeoque graue illius delictum existimauit, vt vix
vllo sacrificio potuerit expiari. Et ideò sequitur: Nunquid
carnes sanctæ, quas, scilicet, super altare offers, auferent
à te malitias tuas? Malum est Laicum in domo sua delicta
b *Eccl.* 3. perpetrare, sed facere [b] in loco iudicij impietatem, & in
c *Matth.* 24. oc o iustitiæ iniquitatem. [c] & abominationem desolatio-

nis stare in loco sancto. Hoc tàm grande malum est, vt ferè [d] inueniatur iniquitas eius ad odium. Deus enim tanto [e] odio habet impium Clericum & impietatem eius, vt quasi [f] laboret sustinens. An non laborare me faciunt in peccatis suis? ait Dominus; qui tales abominationes faciunt in oculis meis, quale nec audiuntur nec fiunt inter gentes, [g] vt procul recedere cogar à sanctuario meo, [h] detestor ego superbiam Iacob, & iniquitates eius odi. [i] Abominationes quas facit domus Israel in sanctuario meo detestatur anima mea. Putas nè fili hominis, tu vides, quid isti faciunt in tenebris, vnusquisque in abscondito cubilis sui? fode, parietem ingredere, & videbis abominationes eorũ, habere vnumquẽque thuribulum adulationis in manu sua, & vaporem nebulæ de terra consurgere, vt adorent eos, [k] in quorum manibus sortes eorum, donec quod cupiunt, consequantur ab eis, Sacerdotes dorsa habere contra templum Domini, & facies ad orientem, & adorare ad ortum solis. Nunqnid leue est hoc domui Iuda, vt facerent abominationes istas, quas fecerunt hic, quia replentes terram iniquitate, conuersi sunt ad irritandum me? Et ecce applicant ramum ad nares suas. ergò & ego faciam in furore meo, non parcet oculus meus, nec miserebor. [l] Dorsum & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum. Quod si abominabilis adeò erat coram oculis Domini iniquitas Sacerdotum veteris testamenti, qui tamèn ex vi consecrationis eorum non erant cæteris hominibus sanctiores, neque vllo peculiari erant in anima insigniti charactere, neque aliud quicquàm offerebant in sacrificijs eorum quam panem & vinum, carnes taurorum & arietum & hircorum. [m] Nunquid si appenderẽtur in statera diuini iudicij peccata eorum, & iniquitas vnius mali Sacerdotis nouæ legis, velut arena maris hæc eò grauior appareret, quò & potestas eius amplior, & ordo dignior, & sanctior consecratio, & maior nostri est dignitas Sacerdotij? Caue Sacerdos nè

d Psal. 35.
e Sap. 14.
f Hier. 6.
g Ezech. 8.
h Amos. 6.
i Ezech. 8.
k Psal. 39.
l Hier. 18.
m Tob. 6.

tibi valeat iure obijci, quod Sacerdotibus Iudæ & Ierusalem, qui eorum iniquitatibus comparatione quadam iustificabant peccata Sacerdotum Samariæ, cæterarumque gentium. [n] Et Samaria, inquit Propheta, dimidium peccatorum tuorum non peccauit, sed vicisti eos sceleribus tuis, & iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, sceleratius agens ab eis. [o] Et rursum Hieremias ait: Iustificauit animam suam auersatrix Israel comparatione prænaricatricis Iudæ, verè [p] septuplum vltio dabitur de Cain, scilicet de Laici Christiani culpa; de Lamech vero, hoc est, de Sacerdotis peccato etiam septuagies septies. ideò timeant Sacerdotes Deum, & non peccent, nè tàm graue iudicium subeanr.

n *Ezech.* 16
o *Hier.* 3.
p *Gen.* 3.

Quod culpa Ecclesiastici grauior sit, quia se Deo magis ingratum exhibet. Rapsodia XV.

[a] QVONIAM verò cui multum datum est, multum quæretur ab eo, & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo, timendum planè nobis Ecclesiasticis, ne nos qui plus cæteris in hoc mundo à Deo accepisse videmur, & potestatis, & dignitatis; ab Auctore mundi grauius indè iudicemur, cum enim augentur dona, non solum rationes augentur donorum, sed & grauitas crescit delictorum, si is delinquit, qui pro donis acceptis non criminum scelera, sed actiones debuerat reddere gratiarum. [b] Idcircò aggrauatum est delictum Saulis, quia cum paruulus esset in oculis suis, caput in tribubus Israel factus est, vnxitque eum Dominus in Regem super Israel, & nihilominùs tot donis ingratus, non audiuit vocem Domini, vt interficeret peccatores Amalech

a *Luc.* 12.
b 1. *Reg.* 15

vsque

vsque ad internecionem, sed versus est ad prędam, & fecit malum in oculis Domini, [c] Nathan quoque propheta missus à Deo ad regem Dauid, vt exprobraret illi adulterium & homicidium, quod perpetrauerat, quæ illi Dominus dona contulerat, Dei loquentis vices agens in primis obiecit; Ego, ait Dominus, vnxi te in Regem super Israel, & erui te de manu Saul, dedique tibi domum Israel, & domum Iuda, & si parua sunt hæc, adijciam tibi multo maiora, quare ergo contempsisti verbum Domini, vt faceres malum in conspectu meo? Hoc est, in quo laborat Dominus sustinens peccata sacerdotum. [d] Induxi, ait, vos in terram Carmeli, vt comederetis fructum eius, & optima terræ illius, & ingressi contaminastis terram meam, & hæreditatem meam posuistis in abominationem, Sacerdotes non dixerunt, vbi est Dominus? [e] E contra verò castissimus iuuenis Ioseph per singulos dies à Domina sua sollicitatus ad stuprum, neque acquiescens operi nefario. Ecce, ait, ad illam, Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, nec quidquàm est quod non in mea sit potestate præter te, quæ vxor eius es. Quomodo ergò possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? Et tu Sacerdos, cui Dominus post Apostolos tãtam gratiam conferre dignatus est, vt nihil in terris, nihil prorsus sit & in cælis, quod in tua posuerit potestate. [f] Quid enim illi est in cælo quod tibi non dederit, cum te diuinitatis ipsius tribuerit esse participem, & [g] quomodo non omnia tibi donauit qui proprium Filium singulis diebus offerendum, sumendumque concessit? Et ab illo quid voluisti super terram, quod tibi non dederit, cum Ecclesiam ipsam quæ vxor & sponsa eius est, tuæ fidei commendarit, & in omnibus his [h] fecisti mala, & potuisti? [i] & apposuisti adhuc peccare ei? Vah quam iustè quæritur de te Dominus dicens. [K] Homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.

c 2.*Reg.* 12
d *Ier.* 2.
e *Genes.* 39
f *Psal.* 72.
g *Rom.* 8.
h *Ier.* 3.
i *Psal.* 77.
K *Psal.* 40.

l *Psal. 59.* [l] Si inimicus meus maledixiſſet mihi ſuſtinuiſſem vtique, & ſi qui oderat me ſuper me magna loquutus fuiſſet, abſcō-diſſem me forſitan ab eo, tu verò homo vnanimis dux meus
m *Ioan. 15.* & notus meus, [m] cui nota feci quæcunque audiui à Patre
n *Iob. 19.* meo, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, [n] quem ſaturaui de carnibus meis, in domo Dei ambulauimus cum conſenſu, & in his omnibus adhuc peccaſti mihi, & ad ira-
o *Psal. 54.* cundiam prouocaſti me? [o] Nunquid non dignus es, vt ve-
p *2. Reg. 16.* niat mors ſuper te, & deſcendas in infernū viuens? [p] Quid mirum (dicebat ſanctus Rex Dauid) quod Semei maledicat mihi, quando filius meus qui egreſſus eſt de vtero meo, quærit animam meam? Quid mirum, ſi laicus peccat in
q *Gal. 4.* Deum, quando Sacerdotes, quos [q] ego vt filios iterùm
r *Isai. 1.* parturio, donec formetur Chriſtus in illis, quos [r] enutriui & exaltaui, ipſi adhuc ſpreuerunt me dicit Dominus?
ſ *Rom. 11.* Porrò ſine [ſ] pœnitentia ſunt dona Dei, [t] iurauit autem
t *Psal. 109.* Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum, neque enim per culpam tollitur Sacerdotij character indelebilis. Sed ſicut olim per ſimilitudinem dictum eſt,
u *1. Reg. 16.* [u] pœnituiſſe eum quod conſtituerit Saul Regem, quia dereliquit eum, & verba eius opere non impleuit, ſic pœniteret eū quod ingratum, & impium Sacerdotem feciſſet in
x *Geneſ. 6.* terris, [x] & tactus dolore cordis intrinſecus, delebo, diceret, iſtum quem creaui Sacerdotem, & quia repulit me, repellam & ego eum, ne Sacerdotio fungatur mihi. Caueat ergò Sacerdos ne peccando tantæ bonitati inueniatur ingratus, qui ad ſeruiendum Deo tantò promptior eſſe debet ex munere quantò ſe obligatiorem eſſe conſpicit in reddenda ratione.



Quod

Quod peccatum Eccleſiaſtici eò grauius eſt, quò minus excuſabile. Rapſodia XVI.

EXCVSABILIS vtcunque eſt eius culpa, qui & ſi malum facit [a] ignoranter, & non volens facit. [b] Nam & Paulus vas electionis, qui prius blaſphemus fuit, & perſecutor, & contumelioſus, miſericordiam Dei conſequutus eſt, quia ignorans fecit in incredulitate ſua, [c] ſed & pro ſuis crucifixoribus orans Saluator noſter. Ignoſce, inquit, Pater, illis, quia neſciunt quid faciũt. [d] Si enim cognouiſſent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent. [e] Voluntarie autèm peccantibus nobis Eccleſiaſticis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur hoſtia pro peccatis, terribilis autèm quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt aduerſarios. [f] reuelatur enim ira Dei de cęlo ſuper omnem impietatẽ, & iniuſtitiam hominum eorũ, qui veritatem Dei & in iniquitate iniuſtitia detinẽt propter hoc inexcuſabiles, quia cum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt, dicentes quippè ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Et [g] quidem cum circuiſſet Propheta vias Ieruſalem, & aſpexiſſet, & conſideraſſet, & quæſiſſet in plateis eius, an inueniret virum facientem iudicium, & quęrentem fidem, nec inueniſſet, id eorum imputauit ignorantiæ, quippè qui pauperes ac infimæ plebis homines eſſent. Ego, inquit, dixi forſitan pauperes ſunt, & ſtulti ignorantes viam Domini, & iudicium Dei ſui, ibo igitur ad optimates, & loquar eis, ipſi enim cognouerunt viam Domini, & iudicium Dei ſui, & ecce magis hi confregerunt iugum, ruperunt vincula. [h] Propter quod & tu inexcuſabilis es ò Sacerdos omnis, qui iudicas alios, in quo enim

a *Eccl.* 14.
b 2. *Tim.* 3.
c *Luc.* 35.
d 1. *Cor.* 2.
e *Hebr.* 10.
f *Rom.* 1.
g *Hier.* 5.
h *Rom.* 2.

iudicas alterum, te ipsum condemnas, cum enim gentes, quæ legem non sciunt, naturaliter ea quę legis sunt faciãt, & eiusmodi legem ignorantes ipsi sibi sint lex, tu autèm Sacerdos cum sis, doctus in lege & glorieris in Deo, & noueris voluntatem eius, & probes vtiliora, nihilominùs deteriora facies, cùm etiam confidas te ipsum esse ducem cœcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, Magistrum infantium habentem formam scientiæ & veritatis, & in his omnibus sine lege, & sine forma viuas, non ne grauius peccas? Quid nisi terribile Dei iudicium expectare vales. [i] An ignoras quia seruus ille, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit, & non se præparauit secundum voluntatem eius vapulabit multis? Qui autèm non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis: [k] Quod si refugientes coinquinationes mundi, in cognitione Domini nostri Iesu Christi his denuò implicati superamur, facta sunt nobis procul dubio posteriora, deteriora prioribus; melius enim erat nobis nõ cognoscere viam iustitiæ, quam post cognitionem retrorsum conuerti ab eo, quod traditum est sancto mandato. [l] Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, væ nobis Ecclesiastici, quia si in Tyro, & Sydone, si in Laico quouis aut Ethnico factæ fuissent virtutes, quæ factæ fuerunt in nobis, si illis licuisset, sicut & nobis quotidiè Sacramentorum vim experiri, gustare donum gratiæ Dei, & fuisset illis sicut & nobis apertus sensus, vt intelligerent scripturas, forsitàn in cinere & cilicio pœnitenntiam egissent. Veruntamèn dico vobis. Tyro, & Sydoni, Ethnico & Laico similia peccantibus, remissius quam nobis erit in die iudicij, in quo nõ iuuabit rationes prætexere ad excusandas excusationes in peccatis. timeamus ergò nobis à præteritis culpis, præcauentes in futurum.

i *Luc.* 12.
k 2.*Petr*.2.
l *Matth*.11.

Quod

Quod peccatum Ecclesiastici eò grauius est quo difficilius emendatur. Rapsodia XVII.

QVONIAM optimi corruptio pessima, porrò quò perfectior est Ecclesiasticus, si viuat sicut suā decet sanctitatem, eò magis impius euadit, atq; peruersus, si à sua sanctitate atque perfectione deficiat. [a] Væ vobis filij desertores, nam sicut difficile inueniuntur meliores, quam qui in statu religioso, vel in clero profecerunt, ità non facilè videas deteriores, quam qui in religione vel in Clero defecerunt, de illis dicitur. [b] Qui iustus est, iustificetur adhuc. de istis verò, qui in sordibus est, sordescat adhuc. [c] illos vidit Hieremias veluti ficus bonas, bonas valde, istos autē, ficus malas, malas valde. Vnde etiàm istis comminatur sermo diuinus. [d] Et ponam eos inquit sicut ficus pessimas, quæ comedi non possunt, eò quod pessimæ sint. Nempe [e] peruersi difficile corriguntur, ità vt Apostolus dicat. [f] Impossibile esse, hoc est valde difficile eos, qui semel illuminati sunt, gustauerunt etiàm donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilomiuùs bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus ad pœnitentiam renouari. [g] Quia enim abierunt in voluptatibus, & in prauitate cordis sui, factiq; sunt retrorsum, & non in ante. [h] ideò Domini sententia fuit, vt indurarentur corda eorum, indè [i] insanabilis fractura eorum, pessima plaga eorum, non est qui iudicet iudicium eorum ad alligandum, curationum vtilitas non est illis, [k] quippè qui dura ceruice & incircumcisi corde, [l] cauterizatam habentes conscientiam, [m] corripientem contemnunt, & eos propterea sanitas non sequetur. Denique tales fiunt, qualis erat ille, ad quem dictum est. [n] Quid clamas

a *Isai.30.*
b *Apoc.22.*
c *Ierem.28.*
d *Ierem.29.*
e *Eccls.1.*
f *Hebr.6.*
g *Ierem.7.*
h *Isai.15.*
i *Ierem.30.*
k *Act.7.*
l *1.Tim.4.*
m *Prou.29.*
n *Ezech.2.*

ad me super contritione tua? insanabilis est dolor tuus, propter dura peccata tua feci hæc tibi, vt sis dura facie, indomabili corde, & attrita fronte. [o] Immunditia quoque tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis, sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te. De his ait Dominus ad Ezechielem, [p] fili hominis versa est mihi domus Israel in scoriam, omnes isti æs, & stannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis, vbi aurum rutilat, scoria argenti facti sunt. [q] Multo labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo. [r] Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos. [s] Peccatũ Iuda scriptũ est stylo ferreo in vngue adamantino exaratum super latitudinem cordis eorũ. [t] Noluerunt attendere auerterunt scapulas recedentes, & aures suas aggrauauerunt, posuerunt cor suum vt adamantem, ne audirent legem Dei, [u] cor enim eorum non erat rectum cum eo, & non est creditus cum Deo spiritus eorum, [x] ideò fient contra Dominum semper [y] abalienati sunt retrorsum, auerterunt se ab eo, & non seruauerunt pactum quemadmodum Patres eorum conuersi sunt in arcum prauum. [z] profunde peccauerunt sicut in Gabaa, [a] vix conuertentur ad vesperam mortis eorum, quippè qui [b] cũ audiunt voces Prophetarum, qui per omne Sabbatum leguntur, clamãtes in auribus eorum. [c] Hodie si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra, [d] reuertatur vnusquisque à via sua mala. Dirigite vias vestras & bona facite studia vestra, non audiunt eos dicentes intra se, nec tamen pœnitentiam agentes. [e] Desperauimus, post cogitationes nostras ibimus, vnusquisque iuxta prauitatem cordis nostri mali faciemus. [f] Et dimisit eos Dominus secundum desideria cordis eorũ, ibunt in adinuentionibus suis, planè dicit Dominus. [g] Populus quem non cognoui, scilicet Laicorum, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi, filij verò, hoc est, mali Ecclesiastici filij vtiquè alieni

o *Ezech.* 24. p *Ezech.* 22. q *Ezech.* 24. r *Ierem.* 6. s *Ierem.* 17. t *Zach.* 7. u *Psal.* 77. x *Psal.* 108. y *Psal.* 77. z *Oseæ* 9. a *Psal.* 58. b *Act.* 13. c *Psal.* 94. d *Hier.* 26. e *Hier.* 18. f *Psal.* 80. g *Psal.* 80.

mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis. [h] porrò si peccauerit vir simplex ac idiota, & corripias illum, facilè audiet te, & lucraberis illũ; sed si peccauerit quis in clero qui factus est [i] vt nec Deum timeat, nec homines reuereatur, quis audeat illũ arguere. [k] quippè qui sapientior sibi videtur septem viris loquentibus sententias? Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebit insipiens. Cũ [l] enim illusor sit, increpationem non sustinet, non audiet, cũ arguitur, si corripias illũ [m] subsannabit te subsãnatione. [n] Quis es tu (decet) qui arguis me de peccato? [o] Arguis eum verbis, qui tibi nõ est æqualis. [p] Denique qui arguit derisorem ipse iniuriam facit sibi, & qui arguit impium, sibi maculam generat. facilius vtique Publicanos & meretrices emendabis, quàm impium clericum. Audi quid veritas dicit Principibus Sacerdotum & Scribis, [q] Ioannes venit in via iustitiæ, & non credidistis ei, Publicani autèm & meretrices crediderunt ei, vos verò audientes & videntes, nec pœnitentiam fecistis, nec credidistis ei. & verè sic erat. Nam Publicani & meretrices, & centuriones, & milites, & latrones in auditu auris cõuersi sunt ad Dominum, [r] & de turba multi crediderunt in eum, & dicebant Christus cùm venerit nunquid plura signa faciet, quam quæ facit hic? [s] Principes autèm Sacerdotum deridebant eum. vndè & Pharisæi de illis dicebant [t] Nunquid ex principibus aliquis credidit in eũ? aut ex Pharisæis? sed turba hæc quæ non nouit legem, maledicti sunt. Quod si quidam eorum conuersi sunt, sed non nisi in signis & portentis, & in manu robusta, & virtute magna, & brachio excelso, & in terrore magno. [u] Et Paulus quidèm qui ex Pharisæorũ secta erat, & doctus in lege cõuersus est, sed non nisi Christo è cælis eum alloquente, ab equo deiectus, de cælo vocatus, luce cælesti circunfultus. [x] Progenies viperarum quis vobis demonstrauit fugere à ventura ira. Dicebat Ioannes ad eos qui ad se venerãt Pha-

h *Matt.* 18.
i *Luc.* 18.
k *Prou.* 26.
l *Prou.* 13.
m *Psal.* 34.
n *Ioan.* 8.
o *Iob.* 15.
p *Prou.* 13.
q *Matt.* 21.
r *Ioan.* 7.
s *Luc.* 23.
t *Ioan.* 7.
u *Act.* 9.
x *Matth.* 3.

y *Hier.* 10. risæos: [y] Væ tibi, qui in Clero peruersus es, væ tibi super confractione tua. pessima plaga tua, planè hæc infirmitas tua,& portabis eam. Quid ergò fiet de Clerico, qui peccare vult, corrigi non vult? Quid fiet de ligno vitis, qui non manet in vite, de qua scriptum est.[a] Ego sum vitis vera,& vos palmites, [b] lignum cæterarum arborum, hoc est, Laicus habet spem, si per peccatum præcisum fuerit, rursus per pœnitentiam virescit, & rami eius pullulant, quia correptionibus, orationibus, prædicationibus, tunsionibus, pręssuris, expolitus suis coaptatur locis, & inseritur, vel sin minus per manus artificis disponitur permansurus sacris ædificijs. [c] Si autèm securis ad radicem posita fuerit, & pręcisum fuerit lignum à vite,[d] nisi secundum diuitias misericordiæ Dei iterum inseratur. [e] nunquid tolletur de ea lignum vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat in eo quodcunque vas? certè ad nihilum valet vltra nisi vt eijciatur foras, [f] & cõculcetur ab hominibus velut lignũ infructuosum, & tandèm [g] detur in escam igni & ardeat. [h] Terra enim sæpè venientẽ super se bibens imbrẽ, & nihilominùs proferens spinas, ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cuius consumatio in combustionem. [i] Væ vobis Sacerdotes, qui profundi estis corde, vt abscondatis consilium à Domino, quorum sunt in tenebris opera, [k] conuertimini, sicut in profundum recesseratis filij Israel. [l] Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus? [m] nam etsi infixus sis in limo profundi, si conuertens conuertaris ad Dominum antequàm absorbeat te profundum antequã vrgeat super te puteus os suum, viuit Dominus [n] quia ex Basan conuertet in profundum maris, educit enim vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant habitant in sepulchris,& cui [o] nõ est impossibile omne verbũ [p] facile erit si labores clamãs, educere te delacu miserię,& de luto fęcis.

z *Ezech.* 15
a *Ioan.* 15.
b *Iob.* 14.
c *Luc.* 3.
d *Iob.* 14.
e *Ezech.* 14.
f *Tob.* 24.
g *Ezech.* 14
h *Hebr.* 6.
i *Isai.* 29.
k *Isai.* 31.
l *Ioan.* 2.
m *Psal.* 68.
n *Psal.* 67.
o *Luc.* 1.
p *Psal.* 39.

Quod peccatum Eccleſiaſtici valde graue ſit, quia ſcandaloſum. Rapſodia X V I I I.

PORRO ſicut de filijs Heli, qui erant & ipſi Sacerdotes, dicitur quod erat [a] peccatum puerorum grande, quia detrahebant homines à ſacrificio, erãt enim filij Belial neſcientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populũ, & ab immolantibus vel inuitis tollebant pro ſe carnes crudas antequàm coquerentur, ſed & dormiebant cum mulieribus, quæ obſeruabant ad oſtium tabernaculi, ſic de ijs qui in Clero palã peccatum aliquod perpetrare non verentur, meritò dicimus, quia peccatum clericorum grande. [b] Nam omne peccatum quodcunquè fecerit homo ex prophana multitudine, in corpus, & in animam ſuam peccat, quodcunque verò fecerit Sacerdos vel clericus quiſpiam, nõ in ſeipſum tantùm, ſed & in proximũ ſuum peccat, iuxtà quod ſcriptum eſt. [c] Et factum eſt illis in ſcandalum, [d] & hæc via illorum, ſcilicet malorum Sacerdotum, ſcandalum ipſis videlicet puſillis ſeu Laicis. [e] Scãdalum namq; eſt enim populo Sacerdos, qui non ſapit quæ Dei ſunt, quia exẽplo ſuo peccare facit homines in verbo, & in facto, & [f] contaminatur terra in operibus eorum, de quibus dicitur, quia [g] egreſſa eſt iniquitas de Babylone à ſenioribus, ſeu Presbyteris, qui videbantur regere populum. [h] Etenim principium peccati eſt filię Sion, quia in te inuẽta ſunt ſcelera Iſrael. [i] Propterea audite hæc Sacerdotes, & attendite domus Iſrael, & domus Regis auſcultate, quia vobis iudicium eſt, quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi, & ſicut rete expanſum ſuper Thabor. [K] Væ vobis ſcribæ & Phariſæi, væ vobis Sacerdotes & Clerici, qui clauditis regnum cælorum ante homines, vos enim non intratis, nec

a 1.*Reg*.2.
b 1.*Cor*.6.
c *Pſal*.105.
d *Pſal*.48.
e *Matth*.16.
f *Pſal*.105.
g *Dan*. 13.
h *Mich*.1.
i *Oſeæ* 3.
k *Matt*. 23

l *Psal.* 141. introeuntes ſinitis intrare, [l] in via hac qua ambulatis abſcondentes laqueum illis, iuxtà iter ſcandalum ponentes illis. [m] Quippe qui receſſiſtis de via recta, & ſcandalizaſtis plurimos in lege, & irritū feciſtis pactum Leui, [n] nec fideles habiti eſtis in teſtamento Dei. [o] Homo de domo Iſrael (dicit Dominus) qui poſuerit immunditias ſuas in corde ſuo, & ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerit contra faciem ſuam, ego Dominus reſpondebo ei in multitudine iniquitatum ſuarum. [p] Væ mundo à ſcandalis, ſed magis væ clerico illi, per quem ſcandalum venit, melius erat illi ſi non fuiſſet vnquàm clericus factus homo ille. [q] Nam ſi quis ſcandalizauerit vel vnum ex puſillis, qui in me credunt, ait Dominus, expedit illi, vt ſuſpendatur mola aſinaria ad collum eius, & demergatur in profundum maris. Quid ſi quis totam ciuitatem, vel vniuerſam prorſus ſcandaliſet Eccleſiam? [r] Leuitæ qui receſſerunt à me dicit Dominus in errore filiorum Iſrael pro eo quod facti ſunt in offendiculum iniquitatis domui Iſrael, leuaui manum meam ſuper eos, & portabunt iniquitatem ſuam, non appropinquabunt ad me, vt Sacerdotio fungantur mihi, neque accedent ad omne ſanctuarium iuxtà ſancta ſanctorū, ſed portabunt iniquitatem ſuam, & ſcelera quæ fecerunt. Adeò deteſtatur Deus ſcandalū, & qui facit illud, vt ſi fuerit non ſolum ſicut pes vel manus, vel ipſemet oculus Eccleſiæ, ſcilicet Sacerdos, qui ſcandalizat eam, præcipit vt ab Eccleſia proijciatur. [ſ] Et ſi, inquit, oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te. [t] Abſcindantur, ait Apoſtolus, qui vos conturbant. [u] Vſquequo patiemur hoc ſcandalum? [x] Tonde capillum tuum dicit Dominus Hieremiæ, & proijce abs te, quia proiecit Dominus, & reliquit generationē furoris ſui, quia fecerunt filij Iſrael malum in oculis meis, poſuerūt offendicula ſua in domo, in qua inuocatum eſt nomen meū, & polluerunt nomen meum, ibi [y] poſuerunt illic gentē peccatricem, & viros iniquos, & facti ſunt in laqueum magnū,

m *Mal.* 2. n *Pſal.* 77. o *Ezech.* 14. p *Matt.* 18. q *Matth.* 8. r *Ezech.* 44. ſ *Matth.* 18 t *Gal.* 5. u *Exod.* 20. x *Hier.* 7. y 1. *Mach.* 1.

& po-

[z] & posuerunt sanctificationis locum in lapidem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel, & in laqueum, & in ruinam habitantibus Hierusalem, ità vt offendāt ex ea plurimi & cadant, & conterantur, & irretiantur, & capiantur. [a] Et factum est ad insidias sanctificationis, & in Diabolum malum in Israel. Hæc fecerunt multi pseudoecclesiastici, [b] qui exierunt ex nobis, sed non erant ex nostris [c] tenentes doctrinam Balaam, qui docebat mittere scandalum coràm filijs Israel edere, & fornicari. Generatio vtiq; Simeon & Leui, quibus iure potest exprobare Mater Ecclesia, quod ijs olim Patriarcha Iacob obiecit in spiritu dicens, [d] Simeon & Leui, Turbastis me, & odiosum me fecistis Chananæis & Pherezęis, [e] videat Deus & iudicet, quia fœtere fecistis odorem meum coram Pharaone & seruis eius. Non solùm autèm sed & in lege Domini gloriantes per præuaricationem legis nomen Dei, qui in clero peruersè agunt quantum in ipsis est, inhonorant. Vndè & de illis sæpè conqueritur per Prophetas: Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est in Isaia Propheta. [f] Dominatores eius iniquè agunt, & iugiter tota die nomen meū blasphematur inter gētes. [g] Polluerunt nomen sanctum meum, cum diceretur de eis: Populus Domini iste est, & de terra eius egressi sunt. Idcircò dices domui Israel, hæc dicit Dominus Deus. Non propter vos ego faciam domus Israel. sed propter nomen sanctum meum, quod polluistis inter gentes, quod polluistis in medio eorum, vt sciant gentes, quia ego Dominus, & sanctificabo nomen meum magnum. [h] Propter me faciam, vt non blasphemer, & gloriam meam alteri non dabo. [i] Quantum enim in te est euacuasti honorem meum, maculasti gloriam meam, qui Sacerdos Dei existens, peccasti coràm populo, & sicut vnus de stultis hominibus operatus es, & propter hoc dictum est pœnitenti Dauid [k] transtulit Dominus Deus peccatum tuum, quia scilicet, [l] cor contritum & humiliatum non

z *Isai.* 8.
a 1. *Mach.* 1
b 1. *Ioan.* 2.
c *Apoc.* 2.
d *Gen.* 34.
e *Exod.* 5.
f *Isai.* 52.
g *Ezech.* 36.
h *Isai.* 48.
i *Iob.* 15.
k 2. *Reg.* 7.
l *Psal.* 50.

despicit, verumtamèn quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum tuũ, filius qui natus est morte morietur. Videte [m] igitur fratres, quomodo cautè ambuletis, ne ponatis offendiculũ fratri, vel scandalum, ne de vobis dicatis, quod scriptum est per Prophetam. [n] Peccatũ suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt, væ animæ quoniam reddita sunt eis mala. [o] Nolite, ait Dauid, annunciare in Geth, neq; annũtietis in compitis Ascalonis, mortẽ scilicet Saul & Ionathæ, ne fortè lętẽtur mulieres Philistijm, ne exultent filiæ incircũcisorum. Nec putet clericus quũ in occulto peccat, semper ab alijs se non videri, quum hoc facit, videtur omninò, & à quibus se videri non arbitratur. [p] Quoties enim accidit quod in aure dixistis fuisse posteà prædicatũ in tectis. [q] Tu fecisti abscondite, sed nescio quo modo permittit Dominus, vt fiat verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis. Sic enim & [r] Moyses cũ circũspexisset huc atq; illuc & nullum adesse vidisset, percusũ Aegyptium abscondit in sabulo, & nihilominùs altera die audiuit à quopiam improperari sibi delictum, quod omnibus putabat occultũ, & timuit Moyses, & ait quomodo palam factum est verbum istud, [s] Oportet autè m abstinere nos non solum à malo, sed etiàm ab omni specie mali. [t] Multa enim nobis licẽt, sed nõ omnia expediunt. [u] Licet enim manducare carnem, sed si frater indè scandalizatur, non maaducabo carnem in ęternum, ne fratrem meum scãdalizẽ. Nec [x] Saluator noster tenebatur soluere didragma, sed ne inquit scandalizemus eos, vade, ait Petro, ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascendit tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illam sumens da eis pro me & te. Cauete à scandalo fratres, omnia [y] sustinete, ne quod offendiculum vestro detis ministerio, ne pereat infirmus in vestra conscientia, propter quem Christus mortuus est [z] Alioquin peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eius infirmam, in Christum peccamus.

m *Rom.* 14.
n *Isa.* 3.
o 2. *Reg.* 1.
p *Luc.* 12.
q 2. *Reg.* 12.
r *Exod.* 2.
s 1. *Ephes.* 5
t 1. *Cor.* 9.
u *Rom.* 14.
x *Matt.* 17.
y 1. *Cor.* 9.
z 1. *Cor.* 8.

Quod peccata Clericorũ grauia ſunt, quia in pernitiem ac ruinam totius populi vergunt.
Rapſodia XIX.

[a] SI peccauerit vir in virum, aut populus in Deum placari ei poterit Deus, [b] videlicet plorantibus Sacerdotibus miniſtris Domini inter veſtibulum & altare, ac dicentibus, Parce Domine parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in perditionem, ipſi auertent iram Dei à populo, & [c] pœnitebit eum mali, quod cogitauit vt faceret populo propter malitiam ſtudiorum eius, [d] Quoties enim iratus eſt furore Dominus in populum ſuum, & dixit vt diſperderet eum, ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius, vt auerteret iram eius, ne diſperderet eũ. [e] Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur tanquàm mediator in ijs, quę ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis populi, vt oret pro populo, interueniat pro clero, intercedat pro deuoto fœmineo ſexu, ità vt ſentiant omnes eius iuuamen, vt ſtet in conſpectu Dei, & loquatur pro cæteris fidelibus bona, & [f] auertat indignationem eius ab hominibus, vt velut Angelus ſuper ſcalam Iacob aſcendat ad Deum deferens vota populi coram Deo, & deſcendat referens populo dona, & munera gratiarum. Verum ſi ſicut populus ſic & ſacerdos, in Dominum peccauerit, & eum ad iracundiam ſuis ſceleribus prouocauerit. Quis orabit pro eo cum ipſe conſtitutus ſit vt pro alijs deprecetur? quis ad Deũ pro populo interceſſor accedet? certè, ſi is, qui ad deprecandum mittitur, inimicus eſt, profectò irati animus ad deteriora prouocatur. [g] Non ne ſuper

a 1. *Reg.* 2.
b *Ioan.* 1.
c *Hier.* 26.
d *Pſal.* 105.
e *Hebr.* 5.
f *Tren.* 5.
g *Iſai.* 72.

muros tuos Ierusalem posuit Dominus custodes Ecclesiasticos, qui tota die & nocte non taceant laudantes nomen Domini. Sed si [h] dormitat vel dormit qui custodit Israel [i] non ne fures venient & perfodient domum eius? [k] Non nè inimicus homo veniet, & super agrum dormientis superseminabit zizania heresum? Si pastores [l] pro eo vt custodiant vigilias noctis super gregem suum, somno & voluptatibus indulgeant, non ne lupus veniet & rapiet & disperget oues? Si sacerdotes quos posuerunt [m] custodes in vineis, vineam suam non custodiant [n] non nè vulpes paruulæ demolientur vineas? [o] Non nè singularis ferus depascet eas? non ne vindemiabunt eas omnes, qui prætergrediuntur viam. Si sacerdotes quorum est tubis prædicationum, populum ad bellum contra inuisibiles hostes adhortari, ipsimet lethalis criminis vulnere sauciati terga vertant, quid faciet populus? [p] Mi Domine (dicebat Dux Israelitici populi Iosue) quid dicam videns Israelem hostibus suis terga vertentem? audient Chananæi & omnes habitatores terræ, & pariter conglobati circundabunt nos, atq; delebunt nomen nostrum de terra, & quid facies nomini tuo magno? [q] Audite hoc Principes domus Iacob, & iudices domus Israel, qui abominamini iudicium rectum, & omnia recta peruertitis, Principes eius in muneribus iudicabant, sacerdotes eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant, & super Dominum requiescebant dicentes. Nunquid non Dominus in medio nostrum? non venient super nos mala, propter hoc, causa vestri, Syon quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit, & mons templi excelsa syluarum. [r] Et factum est ità; scrutamini scripturas, & videbitis quanta mala fecerit in Israel malitia impiorum sacerdotum eius. [s] Cõpleuit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ, succendit ignem in Syon, & deuorauit fundamenta eius. Sed quæ tantorum origo malorum? Ecce.

h *Psal.* 120.
i *Matth.*24.
k *Matth.*13.
l *Luc.* 1.
m *Cant.* 1.
n *Cant.* 2.
o *Psalm.*77.
p *Ios.* 7.
q *Mich.*3.
r *Genes.* 1.
s *Tren.*4.

Non

Non crediderunt Reges terræ, & vniuersi habitatores orbis, quòd ingrederetur hostis, & inimicus per portas Ierusalem. adeò fortis erat, & tamen propter peccata Prophetarum, & iniquitates sacerdotum qui effuderunt in medio eius sanguinem nostrum. [t] Circundederunt eam inimici eius vallo, coangustarunt illam vndiq; & non solùm ingressus est hostis per portas eius, sed ad terram omninò deiecerunt illam, & non reliquerunt in ea lapidem super lapidẽ. [u] Quis miserebitur tui Ierusalẽ, aut quis contristabitur pro te? Quis [x] rogabit quæ ad pacẽ tibi, si propter eos venit super te indignatio Dei, qui stare debuerãt in conspectu Dei, vt auerterent irã eius à te. Non credis hoc? audi quid Dominus dicit per Ezechielem, [a] coniuratio Prophetarum in medio eius, sicut Leo rugiens, & rapiens prædam, animas deuorarunt, opes, & pretium acceperunt, Sacerdotes eius contempserunt legem meam, & sanctuaria mea polluerũt Principes eius quasi lupi in medio eius rapientes prædam ad effundendum sanguinem, ad perdendas animas, & auarè sectanda lucra. Quid inde? Et effudi super eos indignationem meam, in igne iræ meæ consumpsi eos, & viam eorum in caput eorum reddidi. Sed qua de causa? Quia inquit quæsiui de eis virum qui interponeret sepẽ & staret oppositus cõtra me pro terra, ne dissiparem, eã & non inueni. [b] Vere & enim si vel in sodomis inuenisset Dominus decem viros iustos in medio ciuitatis pepercisset omni loco propter eos. [c] Quin immò propter vnum Paulum, salui facti sunt omnes, qui cum eo nauigabant in Italiam. O vere beatus populus cuius Sacerdos sanctus. [d] Nunc scio dicebat Michas, quod benefaciet mihi Dominus habenti Leuitici generis Sacerdotem. [e] Vere salus domui illi facta est, in quam intrat bonus Sacerdos. verè requiescet super illam pax & benedictio Dei, [f] & ad introitum eius, Deus benedicit illi. Sed væ terræ cuius Sacerdotes mali, væ ciuitati, in quam ingreditur malus Sacerdos, [g] ingressus est

t *Luc.* 19.
u *Hier.* 13.
x *Psal.* 121.
a *Ezech.* 22.
b *Gen.* 18.
c *Act.* 27.
d *Iud.* 17.
e *Luc.* 19.
f *Gen.* 30.
g 3. *Reg.* 17

enim

h Isai. 10. enim vt rememorarẽtur iniquitates eius. [h] Væ corpori cuius caput languidũ, & cor mœrẽs. nũquid erit in eo sanitas

i Is. 1. à plãta pedis vsq;ad verticẽ? [i] Super quo percutiet Dominus vos vltra si dederit vobis malos Sacerdotes. [K] Scitote

k Osee 9. Israel stultum Prophetam, insanum virum spiritualem, propter multitudinem iniquitatis vestræ, & multitudinem amentię vobis à Domino permissum propter peccata populi. Speculator Ephraim, Propheta laqueus ruinæ factus est super omnes vias eius, insania in domo Dei eius.

Quod Ecclesiasticorum peccata grauia sint, quia & seuerius puniuntur. Rapsodia XX.

GRAVISSIMA quoq; esse peccata, quæ quis initiatus sacris audet perpetrare, vel ex eo conijci potest [a] quod in veteri testamento, si contigisset animam de populo terræ per ignorantiam peccare, vt facecet quidq; de his quæ Domini lege prohibentur, atq; deliquisset, agnito peccato suo iubebatur offerre capram immaculatam, ex cuius sanguine sacerdos digito vna vice tãtum tãgere debebat cornua altaris holocausti, si vero sacerdos qui vnctus est, peccasset per ignorantiam delinquere faciens populum, solemni vtiq; ac magis difficili ritu oportebat illius peccatum expiari, præcipiebatur enim immolare vitulum immaculatum, & de sanguine eius non vna vice tantum, sed septies hausto, digitoq; intincto septies aspergi coram Domino contra velum sanctuarij, ac de eodem sanguine poni super cornua altaris Thymiamatis. Sed & horrenda quoq; sunt iudicia, quibus legitur Dominum veteris legis Sacerdotũ delicta corripuisse. Primum [b] namq;

a Leuit. 4.

b 1. Reg. 23.

iniqui-

iniquitates filiorum Heli, qui ſacerdotes erant, ac ipſius Heli qui nouerat filios indigne agere, nec eos, vti par erat, ſeuerè puniuit, ſed vix blandè corripuit. tàm horribili iudicio vindicauit, vt ipſe Samueli dixerit. Ecce ego faciam verbum in Iſrael, quod quicunq; audierit tinnient ambæ aures eius. In die illa ſuſcitabo aduerſus Heli omnia quæ loquutus ſum ſuper domum eius, incipiam & complebo, iuraui enim domui Heli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus vſq; in æternum, prædixi enim ei, quia pręcidam brachium tuum, & brachium domus Patris tui, vt non ſit ſemen in domo tua, videbis æmulum tuum in templo in vniuerſis proſperis Iſrael, donec deficiant oculi tui, & tabeſcat anima tua, & pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit, & duo filij tui Ophnes & Phinees morientur in vnum, & factum eſt ità, quin & ipſe Heli audito quod duo filij ſui in bello corruiſſent, & quod arca Dei capta eſſet, cecidit è ſella retrorſum in qua ſedebat, & fractis ceruicibus, mortuus eſt. Nurus quoq; eius vxor Phinees, audito hoc nuntio, cum eſſet prægnans, irruentibus in eam doloribus ſubitis, incuruauit ſe & peperit, & ipſa mortua eſt. Neq; c tamē ipſos primos ſacerdotes filios Aaron Nadab & Abiu per manum Moyſi, Dei inſtituto, ſolemniq; ritu conſecratos, vt eſſent ſacerdotes in æternum, Dei iuſtitia peccantes inultos abire permiſit. Sed cum arreptis thuribulis impoſuiſſent ignem, & incenſum deſuper offerentes coram Domino ignem alienum, contra quod eis mandatum fuerat, egreſſus ſtatim ignis à Domino deuorauit eos, & mortui ſunt coram Domino. Dixitq; Moyſes ad Aaron, hoc eſt quod loquutus eſt Dominus, ſantificabor in ijs, qui appropinquant mihi ſcilicet in ſacerdotibus, & glorificabor in conſpectu omnis populi, vt timeant me, cū viderint quod proprijs filijs, ac electis meis, non pepercerim, ſed propter peccata & iniquitates eorum tradiderim illos in manus tor

c *Leuit.* 10.

d 1. *Petr*.4. torum, vt dicant in cordibus suis [d] si iudicium incipit à domo Dei, quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio? Audiant hæc & cõtremiscant,qui salua sibi omnia putant, eò quod [e] habitent in domo Domini tanquàm ciues Sanctorum & domestici Dei. [f] Nolite confidere in verbis mendacij dicentes, Templum Domini, templum Domini, quoniam si benè direxeritis vias vestras, & studia vestra, dicit Dominus,habitabo vobiscum in loco isto, alias, ecce vos confiditis in verbis mendacij,qui non proderunt vobis. furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, inebriari, ire post concupiscentias cordis vestri, & venistis & stetistis coram me in domo, in qua inuocatum est nomen meum, & dixistis,liberati sumus eò quòd fecerimus omnes abominationes. Nunquid ergò spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatũ est nomen meum in oculis meis? Ego ego sum, ego vidi, dicit Dominus, & nunc quia fecistis omnia opera hæc, & loquutus sum ad vos manè consurgens, & non audistis, vocaui vos, & non respondistis, faciam domui huic, in qua habetis fiduciam, sicut feci in Silo, & proijciam vos à facie mea. Altare [g] altare (exclamat vir Dei in sermone Domini) ecce filius nascetur domui Dauid, & immolabit super te sacerdotes excelsorũ,qui nunc super te thura succedunt, & ossa hominũ super te succendet. [h] Viuo ego dicit Dominus: Nisi pro eo quod sanctum meũ violasti in omnibus offensionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis, ego quoq; confringam, & non parcet oculus meus, & requiescere faciam indignationem meam in te, & scient quia ego Dominus loquutus sum in zelo meo, & dabo te in desertum, & eris opprobrium & blasphemia, & exemplum, & stupor in gentibus, cum fecero in te iudicia in furore, & in indignatione, & increpationibus iræ. Ego Dominus loquutus sum. Quid quod & Saluator noster [i] qui mitis erat & humilis corde, qui [k] cum pateretur non comminabatur, sed velut [l] agnus in-

e *Psalm*.83.
f *Hierem*.7.
g 3. *Reg*.13.
h *Ezech*. 5.
i *Matth*. 11.
k 1. *Petr*.2.
l *Isai*. 53.

nocens ad victimam ductus non aperuit os ſuum. peccatis tamèn Sacerdotum exaſperatus, eos & verbis & verberibus terribiliter excepit. [m] Vos, inquit, ex patre Diabolo eſtis. [n] Generatio mala & adultera ſignum querit, ò generatio [o] incredula atq; peruerſa, quamdiu ero vobiſcum quouſq; vos patiar? deniq; flagello facto de funiculis miro indignationis zelo, eos [p] ſemel [q] & iterum eiecit de templo dicens; Domus mea domus orationis vocabitur, vos autèm feciſtis illã ſpeluncam latronũ. hoc autẽ fuerat multò antè in Pſalmis prænuntiatum, [r] ſi dereliquerint, ait, filij eius legem meam, cuius eius? eius ſcilicet de quo dictum erat, oleo ſancto meo vnxi eum, ſcilicet Sacerdotes, ſi in iudicijs meis non ambulauerint, & mandata mea non cuſtodierint, ſi iuſtitias meas prophanauerint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, in verberibus, ait, non in verbis tantum. Conſiderate igitur fratres, ſi ſacerdotes & clericos declinantes [ſ] in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem, quam ſeuere puniet, quam dire corripiet nos, ſuper hoc [t] vltra addentes præuaricationem?

m *Ioan.* 8.
n *Matth.* 12
o *Matth.* 17
p *Matth.* 17.
q *Ioan.* 2.
r *Matth.* 21
ſ *Pſal.* 88.
t *Pſal.* 124.

De peccatis in ſpecie, à quibus præcæteris maxime cauere debent Eccleſiaſtici, & primò de Incontinentia. Rapſodia XXI.

OPORTET [a] vtiq; Eccleſiaſticum ſine crimine eſſe, ſed ab his criminibus præſertim oportet eum prorſus eſſe innocuum, quæ Eccleſiaſtici decoris faciẽ apud Deum & apud homines denigrare uper carbones, atq; omninò abominabilem exhibere conſueuerunt,

a *Tit.* 1.

b *Ephes.5.* quæ sunt [b] fornicatio, & omnis immunditia, aut auaritia, vel ebrietas, quæ nec decet sanctos, vt vel nominentur in illis, quibus [c] nimirum prohibetur, si is qui frater nominatur fornicator est, aut auarus, aut maledicus, aut ebriosus, cum eiusmodi nec cibum sumere, nec commisceri. [d] Hoc enim scitote intelligentes, quia omnis Ecclesiasticus fornicator, aut auarus, aut ebriosus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Nolite ergò participes effici eorum, nam huiusmodi si sese emũdare neglexerint, ab omni officio ac beneficio semper interdicendos existimauit Ecclesia, nempè clericis [e] quos oportuerat esse mundatos ab omni inquinamento carnis. [f] Qui debitores sunt non carni, vt secũdum carnem viuant, sed vt spiritu facta carnis mortificent, quid turpius quàm [g] desideria & opera carnis perficere? quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes, & his similia. [h] Cum enim placuerit Deo per gratiam suam nos segregare ex vtero matris nostræ in opus ministerij tàm sancti vt reuelaret in nobis filium suum, vtiq; non decet nos aquiescere carni, & sanguini in desiderijs, & concupiscentijs suis, [i] quia hęc est volũtas Dei sanctificatio nostra, vt abstineamus nos à fornicatione, & sciat vnusquisq; nostrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderij sicut & gentes, quæ ignorant Deum, non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem; itàq; qui hæc spernit non hominem spernit, sed Deum, qui etiàm dedit nobis Spiritum suum sanctum in nobis per impositionem manuum Presbyterij. [k] Ne igitur tentet vos Sathanas propter incõtinentiam vestram [l] nimirum si deceptum est cor meum super muliere, ait S.Iob, hoc nefas est, & iniquitas maxima. [m] Sicut enim ex quo videntes filij Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt

c *1. Cor.5.*
d *Ephes.5.*
e *2. Cor.7.*
f *Rom. 8.*
g *Ephes.5.*
h *Gal. 1.*
i *1.Thess.4.*
K *Galat.1.*
l *Iob. 31.*
m *Gen. 6.*

ſibi vxores ex omnibus,quas elegerant: multa deinceps ma litia hominum creuit in terris, cuncta cogitatio cordis eorum ad malum eſſe cæpit intenta, & ad eorum exemplum omnis caro corrupit viam ſuam, & repleta eſt terra iniquitate, & indè venit diluuium, & tulit omnes, ſic ex quo filij Dei, nimirum Eccleſiaſtici incipiunt exardeſcere, [n] ſicut equi amatores in cõcupiſcentia fœminarum, omnis Eccleſiaſticæ diſciplinæ obſeruantia corruit, omnis morum diſsolutio, omnis diuinarum rerum negligentia, Dei contemptus, & tandèm radix omnis amaritudinis, ac hæreſis ſurſum germinans indè initium habet & cauſam, quoniam,vt ait Sapiens. [o] Incontinentes Eccleſiaſtici vel affectui mulierũ deſeruientes,vel voluptatibus inhiantes,in magno viuunt inſcitiæ bello, & tot mala,quæ eorum incontinentiam conſequuntur, pacem appellant, (quantum in eis eſt) obſcura ſacrificia, id eſt, peccatorum labe polluta facientes, ſcipſos non probant, & ſic de illo pane manducant,& de calice bibunt indigne:vnde non ſalutẽ, ſed mortem hauriunt,& iudiciũ ſibi manducant & bibunt nõ dijudicantes corpus Domini,aut inſaniæ plenas vigilias habentes in commeſsationibus & ebrietatibus, in ſcortationibus & ſaltationibus,in cubilibus & in pudicitijs,neq;vitam,neq; alienas nuptias mundas iam cuſtodiunt,ſed alius alium per zelum & inuidiã occidit,aut adulterans contriſtat,& omnia commixta ſunt,ſanguis,homicidium,furtum,ſacrilegium & fictio,corruptio,& infidelitas,turbatio,& periurium,tumultus, ſcandalum puſillorum, infamia Sacerdotum, Dei immemoratio,animarũ inquinatio,natiuitatis immutatio, inconſtantia nuptiarum,inordinatio mechiæ & impudicitiæ. Indè ſunt Eccleſiaſtici in paruo honore apud omnes, quin immò opprobrium hominũ & abiectio plebis. Populi enim videntes horribilia, quæ facit vnus aut alter Eccleſiaſtes in domo Dei, & non intelligentes, quia [p] non ſicut per vnum hominem prothoparentem noſtrum, peccatum in omnes

n Ierem. 5.

o Sap. 14.

p Rom. 8.

homines diffusum est, ità vnius Sacerdotis præuaricatio transit in omnes; ac si vnius vel alterius impudicitia impudicos faceret omnes; propter vnius vel alterius ignominiosas sordes, [q] omnes prorsus Sacerdotes ducunt inglorios, & vituperant ministerium nostrum. [r] Et tamèn sicut iustitia & castitas iusti super eum, ità & impietas & impudicitia impij super eum. Impudicum enim sequitur opprobrium & ignominia, [s] incidit namq; in laqueum & in opprobrium Diaboli Sacerdos, qui incidit in mulierem [t] infames gressus eius, pedes eius ad malum currunt, ad inferos viæ eius. [u] Vah impudice sacerdos, qui destruis, & polluis templum Dei, quomodo iterum reædificabis, quomodo purgabis illud? [x] Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith, maculatus es in impudicitia tua coram Deo & hominibus. [y] Et Salomon impletus quasi flumen sapientia, magnificatus super omnes Reges terræ, in omni gloria sua non euasit infamiæ notam, nam quia inclinauit femora sua mulieribus, & potestatem in corpore suo habuit, dedit maculam in gloria sua, reliquit nomen narrandi libidinem suam, prophanauit semen suum, induxit iracundiam ad liberos suos, & in cæteris stultitiam. [z] Adamauit quippè mulieres alienigenas multas, & copulatus est illis amore ardentissimo, & auerterunt mulieres cor eius, cumquè esset senex deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur deos alienos. Nequè putes qui in fæminam frequenter figis oculos, & illius in te ipsum diligis fixum, ab alijs te non aduerti, quum hoc facis. [a] Ne dicas, quis me videt? tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me, nemo circumspicit me, quem vereor? Amen dico tibi, quia [b] nox illuminatio tua in delitijs tuis, manifestabit te ignominia tua, [c] & diffamabit nomen pessimũ super te, in plateis dabit voces, [d] & audies illicò vituperationem multorum commorantium in circuitu. [e] Ne ergò dederis ma-

q *Iob.* 12.
r *Ezech.* 18.
s 1. *Timot.* 6.
t *Prou.* 1.
u *Matth.* 27
x *Ierem.* 2.
y *Eccli.* 34.
z 3. *Reg.* 11.
a *Eccli.* 23.
b *Psal.* 183.
c *Deut.* 22.
d *Psal.* 39.
e *Eccli.* 33.

culam in gloria tua. [f] Melius est namq; nomen bonum quam diuitiæ multæ, præsertim Ecclesiastico, [g] qui tale testimonium debet habere ab his, qui foris sunt, vt nec filios, aut famulos habeat in accusatione luxuriæ, [h] Quod si timet Apostolus ne iterum lugeat ex Corinthijs, qui peccauerant, & non egerant pœnitentiam super immunditia sua, & fornicatione, & impudicitia quam gesserunt. [i] Quid si inter Ecclesiasticos audiret esse talem fornicationem, qualem nec hominum lex permitteret inter gentes, vt tanquàm vxorem sub titulo ancillæ retineat quis apud se in eadem domo manentem, & dormientem, mulierem fornicariam vel alienam, non ne traderet huiusmodi in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat in die Domini nostri Iesu Christi? [K] Fornicarij nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, & membra Christi? tollens ergo membra Christi faciam mēbra meretricis? Absit: [l] An nescitis quia qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur cum ea, & qui adhæret Deo vnus spiritus efficitur cum eo? Quid ergò [m] meretrici ne, & non potiùs Deo adhærere bonum est tibi, cuius sacratissima carne, ac pretiosissimo sanguine singulis diebus pasceris & potaris? fratres mementote, quia vos estis seniores populi. Sed audi quid dicit Sara [n] postquàm consenui, voluptati operam dabo? [o] Et Berzellai ad Dauid, octogenarius, inquit, sum hodie numquid adhuc vigent sēsus mei, vt discernere possint suaue, aut amarum, aut delectare potest seruum tuū cibus, aut potus, vel audire possum vltra voces cantorum vel cātatricum? ità & vos decet, vt potè senes, seu Presbyteros habere [p] sensus mortificatos quidèm carne, viuificatos autē spiritu, vt iā nō amplius sapiatis, quę carnis sunt, sed quę spiritus Dei, [q] & sicut olim cū essetis paruuli sub elementis huius mundi [r] exhibuistis membra vestra seruire immūditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, [s] ità nunc facti cum sitis viri euacuate quæ erant paruuli, exhibete mēbra vestra serui-

f Prou. 14.
g Tit. 1.
h 2. Cor. 2.
i 1. Cor. 6.
K 1. Cor. 4.
l 2. Cor. 6.
m Psal. 72.
n Gen. 18.
o 2. Reg. 16
p 1. Petr. 2.
q Gal. 4.
r Rom. 6.
s 1. Cor. 13.

t Psal. 75. re iustitiæ in sanctificationem, [t] corpora vestra per continentiam Deo deuouistis, reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu altaris eius offertis munera. [u] Displicet enim Deo infidelis & stulta promissio, multoq; melius fuerat non vouere, quàm post votum promissa non reddere. [x] Aperuisti os tuum ad Dominum, & statuisti in corde tuo. non habens necessitatem, vt [y] seruares virginem tuam, & aliud facere nõ poteris. [z] Ne igitur dederis cor tuũ, vt peccare facias carnem tuam. [a] neq; tentet te Sathanas mentiri te Spiritui sancto, non enim mẽtieris homini sed Deo. recordare quia [b] vt facultatem habeas sine impedimento Dominum obsecrandi, nec vxorem permitteris habere, & licebit assumere mulierem fornicariam? [c] Locus in quo stas terra sancta est, ne accedas nisi sis mundus totus, neq; hoc sufficit, nisi adhuc soluas calceamenta de pedibus tuis, [d] adhuc indiges vt lauentur pedes tui, affectus tui, sordes cogitationum tuarum, [e] tunc acceptabit Dominus de manibus tuis sacrificium iustitię, oblationes, & holocausta. [f] Labia mea dicit Dominus detestabuntur impium, & ideò caue, ne quibus fortasse labijs osculatus es labia meretricis, audeas osculari filiũ Virginis. [g] Sacerdotes qui accedunt ad sanctuarium meum dicit Dominus, sanctificentur prius, ne percutiam eos. [h] Docebis autèm filios Israel, vt caueãt immunditias, & nõ moriantur in sordibus suis, cum polluerint tabernaculum meum, quod est inter illos, propter hoc [i] si quidèm infirmantur, & dormiunt multi, quia non dijudicãt corpus Domini, neq; discernunt inter sacrum & prophanũ. [K] Vnde quantũ ad eorũ malitiã sine vlla Eucharistici sacrificij nota cõuenit illis illa Isaię iusta repræhẽsio, audite verbũ Dñi Principes Sodomorũ, percipite legẽ Dei vestri populus Gomorrhę, quo mihi multitudinẽ victimarũ vestrarũ dicit Dominus? Plenus sum holocausta arietũ, & adipẽ pinguiũ, & sanguinẽ vitulorũ & agnorũ, & hircorũ nolui. Cum veniretis ante me, quis quæsiuit hæc de manibus vestris, vt

u Eccli. 5.
x Iud. 16.
y 1. Cor. 7.
z Eccls. 5.
a Act. 5.
b 1. Cor. 7.
c Exod. 3.
d Iob. 13.
e Psal. 50.
f Prou. 8.
g Exod. 19.
h Leuit. 10.
i 1. Cor. 11.
k Isa. 1.

ambularetis in atrijs meijs? Ne afferatis vltra sacrificiũ fru
strà, incensum abominatio est mihi. Neomenias & Sabba-
tha, & festiuitates vestras non feram, iniqui sunt cætus ve-
stri. Calendas vestras, & solemnitates vestras, odiuit
anima mea, facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens.
Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à
vobis, quia manus vestræ plenæ sunt sanguine, plenæ sunt
immunditijs. Lauamini, mundi estote, auferte malum
cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere
peruersè. [l] Sed heu Ephraim fractus iudicio cæpit abire — l *Osee* 5.
post sordes, vix [m] redibit aliquandò præuaricator ad cor. — m *Is.* 46.
[n] Nam fornicatio vinum & mulieres auferunt cor, [o] ideò — n *Osee* 4.
ossa eius replebuntur vitijs adolescentiæ suæ, & cum eo in — o *Iob.* 20.
puluere dormient, [p] & spurcitia eius manebit super eum. — p *Num.* 16.
[q] Ego scio Ephraim, dicit Dominus & Israel à me non est — q *Ose.* 5.
absconditus, quia nunc fornicatus est Ephraim, contami-
natus est Israel, non dabunt cogitationes suas vt reuertan-
tur ad Dominum Deum suum. [r] Quid igitur? Nun- — r *Ephes.* 4.
quid desperantes semetipsos tradent se omni impudicitiæ
in operationem immunditiæ omnis? Vos autèm non ità
didicistis fratres, deponite vos secundum pristinam con-
uersationem vestram, veterem hominem qui secundum de-
sideria carnis est cum moribus & actibus suis, abijcientes
omnem immunditiam. [s] Mortificate membra vestra quę — s *Col.* 3.
sunt super terram fornicationem, immunditiam, libidi-
nem, concupiscientiam malam, per quæ venit ira Dei in
filios diffidentiæ.



De familiaritate mulierum ab Ecclesiasticis fugienda. Rapsodia XXII.

a *Eccli.* 16.
b *Sap.* 8.
c *Eccli.* 23.
d 2. *Cor.* 4.
e 2. *Cor.* 1.
f 1. *Ioh.* 5.
g *Eccli.* 3.
h *Prou.* 7.
i *Iud.* 4.
k *Num.* 22.

VERE [a] omnis auri ponderatio non est digna continentis animæ. Sed quoniam [b] aliter non potest quis esse continens nisi Deus dederit, & hoc ipsũ est sapientia, scire cuius hoc sit donũ, primo [c] deprecandus est Deus totis præcordijs nostris. vt non derelinquat nos in cogitatu maligno, extollentiam oculorum ne det nobis, & omne desiderium auertat à nobis, auferat à nobis ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ ne apprehendant nos, & animę irreuerenti, & infrunitæ ne tradat nos. Et quia periculosa est castitas, nempè [d] habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. [e] Ne simus fidentes in nobis sed in Deo, qui solus in tantis periculis constitutos eripiet, & eruet adiuuantibus nobis in oratione pro nobis. [f] Siquidem in medio nationis prauæ & peruersæ, vbi totus mundus in maligno, & in malo igne positus est, multis vtiq; subest periculis castitas, periculis in cogitatu, periculis in aspectu, periculis in affatu, periculis in cohabitatione mulierum. quæ omnia quantum in nobis est oportet nos omninò cauere. alias [g] qui amat periculum peribit in illo, propter hoc [h] nimirum multos incaute ambulantes, ac nimium sibi fidentes vulneratos decepit, ac deiecit mulier, & fortissimi quiq; interfecti sũt ab ea, [i] quos primo lacte blãditiarũ ac voluptate, velut lethali quodã suauiq; sopore absorptos, ac dementes factos, posteà eorum tempora & corda, clauo fascinationis defixit in cerebrum vsq; ad terram; Num legistis fratres [K] quomodo à Rege Balac conductus impius propheta Balaam, vt maledicendo ma-

lediceret populum Domini, qui morabatur in castris, & pugnabat aduersus Moabitas, & Madianitas, cum aliter disponente Domino, maledictionem in benedictionem cõuertere cogeretur, Deiq; spiritu prospera vaticinari tabernaculis Iacob & tentorijs Israel; Dabo inquit tibi Rex cõsilium, quid populus tuus populo huic faciat. Consilium autèm dedit ei ad euertendum populum Israel, vt exeuntes filiæ Moab in conspectu filiorum Israel, aspectibus, ac colloquijs, eos allicerent ad fornicandum cum eis, & [l] sicut ille consuluit, ità factum est. Et fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua, at illi comederunt & adorauerunt Deos earum, & factum est illis in scãdalum. [m] Qua propter cæsis posteà Madianitis in campestribus Moab, captisq; mulieribus, ac paruulis, iratus est Moyses quod fœminas reseruasent principes exercitus. Cur, inquit, mulieres reseruastis, non ne istæ sunt quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, & præuaricari fecerunt in Dominum, qui & percussit eos? iussitq; solis virginibus reseruatis, omnes mulieres, quæ viros nouerant iugulari. simili modo sciens Sathanas quia [n] castra Dei sunt hæc, scilicet Ecclesiasticus ordo, ac dignitas sacerdotalis. [o] Vtiq; terribilis Dæmonibus, vt castrorum acies ordinata, vt eos deijciat tenens doctrinam Balaam, suggerit oculis, ac cordibus eorum, mulieres Moab, nouit namq; & expertus est quia [p] pellicientes in desiderijs carnis luxuriæ, eos, qui paululum effugiunt viam disciplinæ, qui incaute loquuntur, aspiciunt, cohabitant, rident, ludunt, conuersantur cum illis [q] certissime euertent corda eorum, quia [r] mulier Viri præciosissimam animam rapit, adeò vt [s] vinum & mulieres apostatare faciant etiam sapientes & arguant sensatos, [t] à muliere enim initium factum est peccati. [u] Ideò pepigit sapiens quidam fœdus cum oculis suis, vt ne cogitaret quidèm de virgine. [x] Malum enim cogitationum ingreditur per

l Num. 25.
m Num. 31.
n Gen. 32.
o Cant. 8.
p 2. Petr. 2.
q 3. Reg. 2.
r Prou. 6.
s Eccli. 9.
t Eccli. 25.
u Iob. 31.
x Hierem. 9

y *Tren.* 3. z *Eccli.* 25. a *Prou.* 6. b *Eccli.* 19. d *Eccli.* 9. e *Prou.* 31. f *Rom.* 5. g *Eccli.* 9. h *Eccli.* 9. i *Prou.* 8. K *Eccli.* 9. m *Prou.* 7.

fenestras oculorum y quò sæpè depredantur animas nostras, ideò z ne respicias mulieris speciem, a ne concupiscat cor tuum pulchritudinem illius, & capiaris nutibus illius, quia & cum irascitur fæmina delectat, quid cùm blanditur? b Ne respicias mulierem præsertim multiuolam, ne fortè incidas in laqucos illius, d omninò Virginem ne conspicias, ne scandelizeris in decore faciei eius e fallax gratia eius,& vana est pulchritudo, quæ f & euanescere facit homines in cogitationibus suis. g Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circunspicias mulierem alienam, propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hac, concupiscentia quasi ignis exardescit,& h colloquium illius quasi ignis efferuescere facit ollam. i Ne intendas fallaciæ mulieris, fauus enim distillans labia meretricis, nitidius oleo guttur eius. Nouissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps, pedes eius descendunt in mortem, & ad inferos pedes eius penetrant, longè fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus illius. Cum K aliena muliere ne sedeas omninò, nec accumbas cum ea super cubitum, non alterceris cum illa in vino,ne fortè declinet cor tuum in illam, & sanguine tuo labaris in perditionem. Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, & confundaris, & illudat te, sicut muliercula, quędam nomine Apamen concubina Regis Persarum, quæ sedens iuxtà Regem ad dexteram eius auferebat diadema de capite eius, & imponebat sibi, palmis cædebat eum de sinistra manu, & super hæc aperto ore intuebatur eam, & si arriserit, ridet, & si indignata fuerit, blanditur, donec reconcilietur in gratiam. O quam multi dementes facti sunt propter mulieres, & serui facti sunt propter illas, quam multi perierunt, & iugulati sunt propter illas? m Mulier namq; in ornatu meretricio præparata ad decipiendas animas garrula,& vaga suis sermo-

nibus

nibus adeò allicit, & blanditijs labiorum suorum adeò protrahit incautum hominem, vt statim eam sequatur quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorans quod ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta iecur eius, veluti si auis festinet ad laqueum, & nescit quòd de periculo animæ illius agitur, caue tu qui legis caue, & tu qui scribis, ne abstrahatur in vijs illius mens tua, nequè decipiaris in semitis eius. [n] In medio mulierum noli commorari, nequè habitent illæ in medio domus tuæ, de vestimento enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. [o] Commorari Leoni, & Draconi tibi magis expediet quàm habitare cum muliere nequam. Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius? Sic qui ingreditur ad mulierem, & cum quo mulier habitat, non erit mundus. [p] Omnes qui ingrediuntur ad eam non reuertentur, nec apprehendent semitas vitæ. [q] Propterea amare deplorabat Esdras delictum Sacerdotum, ac Leuitarum sui temporis, eò quòd non essent separati à mulieribus alienigenis, & commiscuerint semen sanctum cum populis terrarum, ideò volens cultum Dei viuentis renouare, templum restaurare, ac ritus cæremonias, cæteraq; quæ ad Dei reuerentiam ac populi mores corrigendos spectabant reformare, prius adiurauit Principes Sacerdotum ac Leuitarum, & omnem Israel, vt mulieres omnes alienigenas, quas sibi arctissimo amore coniunxerant, à se protinus ablegarent, & factum est ità. Neq; enim possibile est Ecclesiasticam disciplinam in clero restaurari, ni prius à domibus Clericorum eijcias ancillas, & filios earum. [r] Quousquè etenim anathema in medio tui est Israel, non poteris stare coram hostibus tuis, cum hæreticis dico vel infidelibus, qui perpetuò nobis improperant incontinentiam Clericorum; in hoc ergo inuigilet

n *Eccli.* 45
o *Eccli.* 25
p *Prou.* 2.1
q 1. *Esd.* 1.
r *Ios.* 7.

Præsulum

Præſulum diligentia, vt omninò tollatur abominatio deſolationis à loco ſancto, & contaminatio mulierum à ſanctuario Dei. [f] Imitentur zelum Aſa Regis Iſrael, qui abſtulit effeminatos de terra, & purgauit vniuerſas ſordes.

f 3.*Reg.* 15.

Quàm turpis ſit in Eccleſiaſticis Auaritia. Rapſodia XXIII.

a *Col.* 3.
b *Eccli.* 3.
c *Eccli.* 14.
d *Eccli.* 10.
e *Prou.* 1.
f 1.*Tim.* 2.
g *Deut.* 18.

CAVENDA quidèm [a] omni homini auaritia, quæ eſt ſimulachrorum ſeruitus, [b] nempè auaro quid eſt ſceleſtius, qui & ſibi nequam, & nulli bonus. Nam qui ſibi ipſi inuidet, nec iucundari audet in bonis ſuis, quid illo nequius? hæc redditio eſt malitiæ illius. [c] Nequam prorſus eſt oculus auari, inſatiabilis oculus cupidi, in parte iniquitatis non ſatiabitur donec conſumat arefaciens animam ſuam.[d] Vere nihil iniquius quàm amare pecuniam. [e] auarus enim, & animã ſuam venalẽ habet, & animas poſſidentium rapit. [f] Denique radix omnium malorum eſt cupiditas. Ex auaritia enim exeunt oppreſſiones pauperum, calumniæ egenorum, iudicia violenta, ſubuerſio iuſtitiæ, munera ſuper innocentem accipere, cauſam viduæ non iudicare, pupillum, & viduam, & aduenam, & pauperem in iudicio calumniari. hinc latrocinia, furta, deſideria multa inutilia, quæ vergunt hominẽ in interitum. qui enim volunt diuites fieri incidunt in iudicium, & in laqueum Diaboli. Maxime verò cauenda eſt Eccleſiaſticis auaritia, de quibus dictum eſt. [g] Non habebunt Sacerdotes & Leuitæ, & omnes qui ex eadem tribu ſunt partem, & hæreditatem cum reliquo Iſrael, quia ſacrificia Domini & oblationes eius comedent, & nihil aliud accipient de poſſeſſione fratrum ſuorum. Dominus enim ipſe eſt hæreditas eorum, ſicut loquutus eſt cum illis. Quæ etenim

immensa cupido, vt quorum Deus ipse pars est, & eorum merces magna nimis, tanta talique sorte minimè contenti, aperto ore inhient lucris rerum temporalium, ac toto corde sectentur auaritiam? Quam detestanda peruersitas vt in clero in quo, quantum possunt, debent diuites fieri egeni, & pauperes, fiant pauperes adeò delicati, ac diuites, vt ad hoc cuncta cogitatio eorũ intenta sit omni tempore,[h] quomodo domum domui, & agrum agro coniũgere valeant, ac si ipsi soli habitaturi essent super terram? [i] O cupiditas nequissima vnde creata es cooperire aridã auaritia & dolositate illius. [K] Ecce in exordio nascentis Ecclesię, quando ignis charitatis vigebat in cordibus credentiũ, habebant omnia communia, possessiones & substantias vẽdebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat, & quotidiè perdurantes in templo vnanimiter, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis, sed cum refriguit charitas multorum, & radix omnium malorũ cupiditas sursum germinauit, [l] non quærentibus iam multis quę Iesu Christi sunt, [m] sed quod sibi vtile est, nec solum quæ sua sunt quærentibus, sed & aliena sibi vsurpantibus, [n] à fructu frumenti, vini, olei, ac diuitiarum omnium multiplicati sunt, impinguati, [o] incrassati, dilatati, non potest eos capere terra, vt habitent simul. est quippè substantia eorum multa, & nequeunt habitare communiter, vndè sæpè etiàm oriuntur rixæ, lites, contentiones, & iurgia, non solùm inter pastores, & pastores, sed & inter pastores & oues. [p] Et beatus inter Ecclesiasticos, qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunię thesauris. Quis est hic? Ecce [q] qui iubẽtur thesaurizare sibi thesauros in cælis, tanto studio thesaurizant sibi thesauros in terris, vt iam impletum videamus in illis quod dictum est per Prophetam. [r] Et repleta est terra argento & auro, & non est finis thesaurorum eius, [s] & eorum auaritia nunquàm dicit, sufficit. [t] O insatiabilis sicut infer-

h *Esai. 5.*
i *Eccli. 37.*
k *Act. 2.*
l *Phil. 2.*
m *1. Cor. 10.*
n *Psal. 4.*
o *Gen. 13.*
p *Eccli. 6.*
q *Matth. 6.*
r *Is. 2.*
s *Prou. 30.*
t *Eccli. 4.*

nus auaritia, ò vanitas cui sub sole similis vix valet inueniri, auaritia in viro Ecclesiastico, qui vnus est, & secundum non habet, non vxorem, non filios, non filias, & tamèn laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitijs, nec cogitat dicens, cui laboro, & fraudo animam meam bonis?
u *Luc.* 12. [u] Stulte, quæ cùm tanto Laicorum scandalo, & animæ tuæ
x *Psal.* 38. detrimento parasti, cuius erunt? [x] An putas quia cum interieris sumes omnia tecum, aut descendet tecum gloria diuitiarum tuarum? ecce relinques alienis diuitias tuas, & nescis quibus alienis thesaurizas, & ignoras cui congrega-
y *Eccl.* 14. bis ea, & quæ tu [y] coaceruasti ex animo tuo auarè pariter, & iniustè, alijs cõgregas qui in bonis tuis luxuriabũtur. Sed
z *Tob.* 21. vrget, inquies, charitas familiarum meorũ. [z] Semen meũ permanet coram me propinquorum turba & nepotum in
a *Ephes.* 5. conspectu meo, necessitatibus eorum consulendum. [a] Quis
b 1. *Tim.* 5. vnquàm carnem suam odio habuit? [b] Si quis suorum maximè domesticorum curam non habet, non ne fidem abne-
c *Eccl.* 33. gauit, & est infideli deterior? Nonne scriptum est: [c] Respicite ergò quia non mihi soli laboraui, sed omnibus parentibus & nepotibus meis. Et quidèm si parentes tui verè pauperes sunt, benefacis eorum necessitatibus communi-
d *Matth.* 15 cando. [d] propterea & Dominus repræhendit Sacerdotum Iudæorum auaritiam, qui filijs suadebant ab indigentibus eorum parentibus, bona eorum indigentijs necessaria superstitiosæ pietatis prætextu, surripere, vt ex eis munera, & dona vel templo, vel templi Sacerdotibus offerrent, &
e *Prou.* 31. non honorabant patrem, & matrem suam. [e] Sed cum omnes domestici tui vestiti sint duplicibus. Vereor ne non potiùs de bonis Ecclesiæ prædam, quam necessaria alimenta domesticis tuis, & cibaria ancillis tuis accumules, vt scilicet
f 1. *Reg.* 7. ædifices tibi domum amplam, [f] & facias tibi nomen grã-
g *Habac.* 2. de iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra. [g] Sed væ illi, qui congregat auaritiam malam domui suæ, vt sit in excel-
h *Matth.* 7. so nidus eius, & liberari se putat de manu mali. [h] hic affi-

milabitur viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam, descendet enim pluuia, & venient flumina & flabunt venti, & irruent super domum illam, & cadet & erit ruina eius magna. [i] Porrò si tui non fuerint dominati, tūc immaculatus eris & emundaberis à delicto maximo. [K] Audite ergò me Magnates & rectores Ecclesię, & auribus percipite. Filio & mulieri, & fratri & amico, ne des potestatem super te in vita tua, & in possessione tua ne fortè pœniteat te, & deprecceris pro illis, & respicias in manus eorum. Sed dicet alius, ego thesaurizo, non quia de parentibus ad me pertineat, sed quia parochus sum, & administrator bonorum Ecclesiæ constitutus in bonis illius. [l] vt ædificem, & plantem, & benè dicis, [m] sicut enim cæteri fideles, Dei agricultura sunt, Dei ædificatio sunt, sic Sacerdotes Dei agricolæ sunt, Dei operarij sunt, verum [n] non eius agri, quē possedit Iudas de mercede iniquitatis, [o] sed eius domus, quę benè fundata est supra firmam petram. [p] supra fundamentum Apostolorum, ac Prophetarum. Sed væ tibi, qui ædificas templum, vel domum eius in sanguinibus pauperum subditorum, & auges bona Ecclesiæ in iniquitate. [q] Quid prodest tibi si vniuersum mundū lucretis, in vtilitatē Ecclesiæ, tuæ curæ creditæ, animæ verò tuæ & animarum tuæ fideicommissarum detrimentum facias? Quæ peruersitas, animas perdere, vt agros dilates, ædificare muros Ecclesiæ, & mores negligere, oues mactare ac decorticare, vt stabulum valeas ampliare? [r] Vtique lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter iuncturas est ædificiorum respondebit. Væ qui multiplicas non tua, & aggrauas super te densum lutum. Nunquid non repente consurgent in morte tua, qui mordeant te, & sciscitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis, hoc est parentibus, amicis, seruis & ancillis? [s]. Audite hæc principes domus Iacob, iudices domus Israel, qui ædificatis Sion in sanguinibus. [t] Vę qui ędificat domum suam in iniustitia, & cœnacula sua nō

i *Psal.* 18.
k *Eccli.* 33.
l *Hier.* 1.
m 1. *Cor.* 3.
n *Act.* 1.
o *Matth.* 7.
p *Ephes.* 2.
q *Matth.* 8.
r *Hab.* 2.
s *Mich.* 3.
t *Hie.* 22.

in iu-

in iudicio, amicum suum opprimet frustra, & mercedem
eius non reddet ei, qui dicit, ædificabo mihi domum latam,
& cœnacula spatiosa, qui aperit sibi fenestras, & facit la-
quearia cedrina; pingitque sinopide, cuius oculi cor ad
auaritiam, & carnes pauperum lacerandas. Propterea hęc
dicit Dominus: non plagent eum mortuum scilicet Eccle-
siasticum auarum. væ Pater, væ Pastor, væ Sacerdos, væ
Pater pauperum, non concrepabunt ei. Væ Domine, In-
clyte non lugebunt eum fletu, sed multi in morte eius gau-
u *Psal.*51. debunt. [u] & ridebunt alij super eum, & dicent, Ecce ho-
mo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in
multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate
x *Hier.* 22. sua. [x] sepultura asini sepelietur putrefactus & proiectus
y *Ps.* 82. extra portas Ierusalem. [y] Non memorabitur nomen eius
z 3.*Reg.*17. vltra per labia hominum, [z] nisi fortè vt rememorentur ini-
a *Psal.*108. quitates eius, [a] & in memoriam redeat cupiditas auaritię
& rapacitatis eius, vix enim aliud crimen est quod vel ma-
ius odium & inuidiam Clerico, & maius offendiculum po-
nat Christi Euangelio, quàm auaritia plurimorum Sacer-
b 1.*Tim.*3. dotum, qui [b] quæstum æstimant pietatem, quia lucrantur
Ecclesiæ, quæ tamen ex eorum turpi lucro, & auiditate
c *Eccli.* 31. inæstimabile patitur detrimentum. [c] Nam lignum offen-
sionis, ait Sapiens, est aurum sacrificantium, væ illis qui
d 1.*Cor.*9. sectantur illud. Non sic Apostoli, non sic [d] qui cum pos-
sent fidelibus oneri esse, vt Christi Apostoli, ne quod
offendiculum darent Euangelio, non vsi sunt hac potestate,
e 1.*Thes.*5. [e] sed Euangelium prædicantes sine sumptu, ait Doctor
gentium, neque gratis manducauimus panem ab aliquo,
sed in labore & in fatigatione nocte, ac die laborantes, ne
f 1.*Thes.* 2. quemquam vestrum grauaremus. [f] Neque enim aliquan-
dò fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in oc-
g *Act.* 20. casione auaritiæ, Deus testis est. [g] Argentum & aurum
nullius concupiui, ipsi scitis, quoniam ad ea, quę mihi
opus erant, & his qui mecum sunt ministrauerunt manus

meæ.

meæ. Sed & Moyses & Samuel vt iustificentur in sermonibus suis, quos Dei iussu populo prædicabant, coram omni multitudine Israel contestantur, se immunes præsertim fuisse ab omni auaritia.[h] Tu scis (inquit Moyses) quod nec asellum quidem vnquàm acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum. [i] Ecce, inquit Samuel, præsto sum, loquimini coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusque tulerim, aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusque munus accepi, & contemnam illud hodie, restituamque vobis. [K] Beatus qui proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius, sed virum qui oderit auaritiam [l] quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius. [m] Ecce omnes in viam suam declinauerunt, nescierunt saturitatem, vnusquisque ad auaritiam suam declinauit à summo vsque ad nouissimum. [n] A minore vsquè ad maximum omnes auaritiam sequuntur, à Propheta vsque ad Sacerdotes, omnes auaritiæ student, cuncti faciũt dolum, & vidit Propheta Dominum in indignatione sua stantem super altare, ac dicentem. [o] Percute cardinem vt commoueantur superliminaria cœli, auaritia enim in capite omnium. [p] Quoniam confringens vnusquisque nudauit pauperem, nec est satiatus venter eius, cum habuerit quæ concupierat, possidere non poterit. Vtinam impleatur venter eius insatiabilis, vt emittat in eum Dominus iram furoris sui, nam si quandò satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum. intelligite hæc qui sectamini auaritiam? [q] Argentum eorum & aurum eorum proijcietur in sterquilinium. argentum & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini, animam suam non saturabunt, & venter eorum non implebunt, quia scandalum iniquitatis eorum factum est. [r] Cauete ergo ab omni auaritia fratres, quia non in abun-

h *Num.* 26.
i 1. *Reg.* 12.
k *Is.* 33.
l *Prou.* 32.
m *Isa.* 56.
n *Hier.* 6.
o *Amos* 9.
p *Iob.* 20.
q *Ezech.* 7.
r *Lucæ* 12.

dantia

s Psal. 16. dantia cuiusq; vita eius ex his quæ possidet. [s] Diuitiæ si affluant, vel si offerantur, nolite cor apponere, sed mementote quia [t] & Esau offerente illi Iacob dona plurima respondit: Habeo plurima frater mi, sint tua tibi. [u] Plurima enim habet qui vniuersa contemnens nihil habet & omnia possidet, iuxtà quod scriptum est [x] Omnis locus quem calcauerit pes vester, vester erit. [y] Quod si tẽtauerit te Sathanas ac dicẽt, Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me. [z] Respõde sicut Abraham Regi sodomorum, Leuo manum meam ad Dominum excelsum possessorem cæli, & terræ, quòd à filo subtegminis vsq; ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt, ne dicas, ego ditaui Abraham. Vtiq; verus Sacerdos, & Ecclesiasticus est ille, qui tãquàm alter Ioseph [a] præfectus vniuersæ terræ Aegypti, scilicet de bonis huius mundi, quum omnia haberet in sua potestate, aliud non nouerat pro se nisi panem quo vescebatur, [b] & habens alimenta, & quibus tegeretur, his contentus erat, animarum enim non pecuniarum cupidus esse debet Ecclesiasticus, ità [c] vt dicere valeat, Da mihi animas, cætera tolle tibi. [d] sint igitur mores Ecclesiasticorum sine auaritia contenti præsentibus, certi, quia [e] si primùm quęsierint regnũ Dei & iustitiam eius, hæc omnia adijcientur eis, ipsè enim Dominus dixit [f] non te deseram, neq; derelinquam.

t 2. Cor. 6. *u 2. Cor. 6.* *x Deut. 10.* *y Matth. 4.* *z Gen. 14.* *a Gen. 39.* *b 1. Tim. 6.* *c Gen. 14.* *d Hebr. 13.* *e Matth. 6.* *f Deut. 31.*

De negotiatione Ecclesiasticis interdicta. Rapsodia XXIV.

CVM [a] autèm nemo militans Deo implicet se negotijs sæcularibus, vt ei placeat cui se probauit [b] putas ne quia nobis Ecclesiasticis, qui in carne ambulantes non secundum carnem militamus, licet negotia-

a 2. Tim. 2. *b 1. Cor. 10.*

tioni

tioni argenti,& auri iugiter esse intentos? Porrò [c] hanc occupationem pessimam dedit Deus filijs hominum, sed non filijs Dei, Laicis sed non Clericis, vt distendantur in ea. Et quidem si Ecclesiasticus similis sit in sua negotiatione [d] negotiatori querenti bonas margaritas, qui inuenta vna pretiosa margarita dedit omnia sua, & comparauit eam scilicet sapientiã. Vtique [e] bona est negotiatio eius. [f] Beatus siquidèm homo qui inuenit sapientiam, quippè melior est acquisitio eius negotiatione auri, & argenti primi, & purissimi fructus eius, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. [g] Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. [h] Suadeo tibi emere aurum ignitum, & probatum, vt locuples fias. eme autèm ab illo, in quo [i] sunt omnes thesauris sapientiæ,& scientiæ Dei absconditi,propterea [k] data sunt vnicuique talenta, alij vnum, alij duo, alij quinque non vt effodiantur in terra, sed vt quis negotiando superlucretur quantum potest. Verum quod Sacerdos super [l] triticum, & super vinum diu noctuque ruminet, [m] qui lege Domini meditari debet die ac nocte,ad nihil aliud vacet nisi quomodo possit [n] in negotio circumuenire fratrem suum, [o] qui omnibus omnia fieri deberet, vt omnes Christo lucrifaceret, [p] quod in auaritia de animabus sibi commissis, de officijs, de beneficijs Ecclesiasticis, fictis verbis negotietur, & pro pecunia vendat, & emat quæ Christus acquisiuit sanguine suo. Quod qui sẽper Euangelium Christi gerere debet in pectore,librum dati & accepti manibus perpetuò, menteq; reuoluat. Quod semper cum villicis de pecunijs repetundis agat, quĩ cum sacris doctoribus de diuinis mysterijs explanandis tractare debuerat, quod animam quoque suam venalem habeat pro his rebus, quæ existimare debuerat, vt stercora, [q] quod faciat Domum Dei, Domum negotiationis, & Domum orationis, speluncam latronum, hæc est [r] abominatio desolationis,

c *Eccls.* 3.
d *Matt.* 13.
e *Prou.* 32.
f *Prou.* 3.
g *Cant.* 8.
h *Apoc.* 3.
i *Col.* 2.
k *Matth.* 25
l *Ose.* 7.
m *Psal.* 1.
n 1. *The.* 4.
o 1. *Cor.* 9.
p 2. *Petr.* 2.
q *Tob.* 5.
r *Matth.* 24

quã videmus sæpè stantẽ in loco sancto, quod qui zelo zelare debent, diligere decorem Domus Dei, templum Dei purgare tenentur, ac facto de funiculis, ceu censuris Ecclesiasticis flagello, eijcere de templo omnes vendentes, & ementes, & intromittentes in templum, quæ non licent, ipsimet tenentes doctrinam Simonis, etiàm dona Dei pecunijs audeant vendere, & emere. de quibus benè propheta-
s *Ezech.* 18. uit [s] Ezechiel dicens: In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti, eieci te de monte sancto Dei, & perdidi te in multitudine iniquitatũ, & iniquitate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam, producam ignem de medio tui qui comedat te, & dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium
t *Act.* 8. videntium te. & quidèm iuste. [t] Non enim potest merces eius cum eo, & pecunia eius cum illo non esse in perditionem, qui totus occupatus operibus luti, & oppressus
u *Psal.* 108. occupationibus negotiorum, opus Dei ità facit, vt [u] oratio & operatio ei fiat in peccatum, quam curam animarum habebit, qui animam suam pro minori pretio, quam pro triginta denarijs venalem habet? Quomodo orabit attente
x *Eccli.* 26. qui totus est lucris intentus? [x] Duæ species difficiles, ait Sapiens, & periculosæ mihi apparuerunt: difficile exuitur negotians à negligentia, scilicet in alijs rebus, & non iusti-
y 2. *Cor.* 7. ficabitur caupo à peccatis labiorum. [y] Mundemus ergò nos, fratres charissimi, ab omni inquinamento auaritiæ, & cupiditatis, non decent virum religiosum opera sæcula-
z *Psal.* 118 rium. Oremus Deum [z] vt inclinet cor nostrum in testimo-
a 2. *Cor.* 7. nia sua, & non in auaritiam, [a] vt proficientes in timore Dei incontaminatos nos exhibeamus ab omni negotio, & omnis turpis lucri cupiditate.

De

De turpi Ebrietatis labe Eccleſiaſticis euitanda. Rapſodia XXV.

ANTE omnia Clericis fœda vetatur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes, ac nutrix eſt. Nam vinolentos, & Apoſtolus damnat, & lex diuina, humanaque prohibet, & ipſa veritas ore proprio deteſtatur. [a] Nolite (inquit Apoſtolus) inebriari vino in quo eſt luxuria, quia venter mero æſtuans deſpumat in libidines. In vino enim luxuria eſt, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia. Clericus autèm [b] qui luxuriatur in delitijs viuens, mortuus eſt, & ſepultus eſt, ſopitus in vino iuxtà quod Iſaias dicit. [c] Verum hi quoque præ vino neſcierunt, præ ebrietate Sacerdos, & propheta abſorti ſunt à vino, omnes menſæ repletæ ſunt vomitu ſordium, ità vt non eſſet vltra locus. Quod ſi ſoporem vini contingat morti coniungi, vbi ſepelietur niſi in inferno? vtique deſcendet ad inferos. [d] Nam neque fornicarij, neque auari, neque ebrioſi regnum Dei poſſidebunt. [e] Lex quoque per Moyſen data eſt, quæ dicit ad Aaron, & filios eius Sacerdotes, vinum & omne quod inebriare poteſt, non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum teſtimonij ne moriamini, quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras, & iterum. [f] Vir ſiue mulier cum fecerint votum, vt ſanctificetur, & ſe voluerint Domino conſacrare, à vino & omni quod inebriare poteſt, abſtinebunt; acetum ex vino, & ex alia qualibet potione, & quidquid exprimitur ex vua non bibent, vuas recentes ſiccaſque non comedent, [g] Qui quoque Nazaræus eſt, hoc eſt Deo dicatus, vinum & ſiceram non bibet. Quo contra de Sacerdotibus, qui [h] con-

a *Epheſ.* 4.
b 1. *Tim.* 5.
c *Iſa.* 28.
d *Epheſ.* 5.
e *Leu.* 10.
f *Num.* 6.
g *Iud.* 6.
h *Iſa.* 5.

tempto Dei præcepto, manè consurgunt ad ebrietatem se-
ctandam vsque ad vesperam conqueritur Dominus dicens:
i Hier. 35. [i] Præualuerunt sermones Ionadab filij Rechab, quos præ-
cepit filijs suis, vt non bibant vinum, & non biberunt vs-
que ad diem hunc. Ego autèm loquutus sum ad vos, &
k Isa. 25. non obedistis mihi, sed inuicem adhortantes dixistis. [K] Su-
mamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit sicut ho-
l Hier. 25. die, sic, & cras, & multò amplius. [l] Bibite ergò, & ine-
briamini, vomite, & cadite, neque surgatis à facie gladij,
m Hier. 13. quem ego mittam vobis. [m] Hæc dicit Dominus, Ecce ego
replebo omnes Sacerdotes, & Prophetas, & omnes habita-
n Isa. 28. tores Ierusalem ebrietate, & dispergam eos inuicem. [n] Vę
coronę superbię, ebrijs Ephraim, flori decidēti, glorię exul-
tationis eius, qui erant in ventre vallis pinguissimæ erran-
tes à vino, pedibus conculcabitur corona superbiæ ebrio-
rum Ephraim. Clericum enim qui coronam portat in ca-
pite, si vino sordidus ebrius madescat in facie, conculca-
tur ab omnibus, deridetur ab omnibus, confunditur ab om-
o Is. 22. nibus, ac si esset vnus de scurris, nec immerito. [o] Nam
vocauit nos Dominus ad fletum, & planctum, ad caluitium,
ad cingulum sacci, & ecce gaudium & lætitia occidere vi-
tulos, iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum,
cōmedamus & bibamus, cras enim moriemur, si dimitte-
tur iniquitas hæc vobis, donec moriamini dicit Dominus,
& cum hæc fecerint, inuicem prouocantur in vino, & qui
p Psal. 77. plus epotauerit. [p] gloriatur tanquàm potens crapulatus à
q Isa. 5. vino. [q] Væ qui potentes estis ad bibendum, & fortes ad
r Luc. 21. ebrietatem miscendā. [r] Videte igitur fratres ne grauentur
ſ Eccli. 37. corda vestra crapula & ebrietate. [ſ] propter crapulam enim
t Prou. 31. multi perierunt, [t] tumultuosa simul & cōtumeliosa res est
ebrietas, quicūque his delectatur, non erit Sapiens, neq; se-
u Prou. 23. curus. [u] Nam cui væ, cuius patri væ, cui rixæ, cui fouee, cui
sine causa vulnera, cui suffosio oculorū, non ne his qui cō-
x 2. Reg. 13 morātur in vino, & studēt calicibus epotandis? [x] Numquid

non

nō Amonoccisus est cū esset tèmulentus, vino? [x] Nunquid non Holoferni caput abscissum, cum in lecto iaceret nimia ebrietate sopitus? [y] Nunquid non Balthasar Rex Babylonis cum iam esset tumulentus præcepit in conuiuio afferri vasa templi Domini, vt in eis biberent ipse & optimates eius, vxoresque & concubinæ eius? & eadem nocte regno fuit & vita priuatus. [a] Ne intuearis vinum quandò flauescit, cum splenduerit in vitro color eius, ingreditur blande, & in nouissimo mordebit, vt coluber, & quasi regulus venena diffundet. Scilicet [b] forte est vinum omnibus hominibus, qui nimium bibunt, & epotant illud, seducit mentem parui & magni, facit mentem vanam, omnem mentem conuertit in securitatem, & non meminit omnem tristitiam, & debitum, omnia præcordia facit honesta, & omnia per talentum facit loqui, & non meminerunt cum biberunt amicitiam, nec fraternitatem, & non multo post sumunt gladios, & cum à vino emerserint, & surrexerint, non meminerunt quæ anteà in ebrietate gesserunt. Sed non obliuiscitur Dominus, vt puniat eos. Nam [c] cum biberit ebrius de calice dæmoniorum, [d] sumpserit populum aureum plenum abominatione, & immunditia fornicationis suæ, [e] in nouissimo dabit illi Dominus calicem iræ suæ in manu, bibet profundum, & latum, ebrietate & dolore replebitur calice mæroris, & tristitiæ, & bibet illum & epotabit eum vsque ad fœces. Nimirum [f] fæx eius non est exinanita, ex ea bibent omnes peccatores terræ. Ignis enim & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. [g] Expergiscimini, expergiscimini ebrij, & flete & vlulate omnes, qui bibitis vinum, quia perijt ab ore vestro, & in his omnibus [h] vinum multum potatum irritationem & iram, & ruinas multas facit. In principio generis humani ignorabatur ebrietas [i] Noe plantauit vineam, dedit naturam, ignorauit potentiam, & inebriatus est, itaque vinum nec suo pepercit authori, sed il-

y *Iudith*. 13
z *Dan*. 5.
a *Prou*. 23.
b 3. *Esd*. 3.
c 1. *Cor*. 10
d *Apoc*. 17.
e *Ezech*. 23.
f *Psal*. 10.
g *Ioan*. 1.
h *Eccli*. 31.
i *Gen*. 9.

lius ebrietas nobis suadet sobrietatem, quia vbi malum ebrietatis agnouit, inuentum suum ad remedium temperauit, non effudit ad vitium. Manebat antequàm vinum inueniretur omnibus inconcussa libertas, nemo sciebat à consorte naturæ suæ obsequia seruitutis exigere, obrepserat quidèm fraternæ prelationis inuidia, manebat tamē adhuc paternæ pietatis reuerentia. Læsa est pietas, sublata libertas, inducta seruitus, dum irridet ebrietas. Non illis itaque solis nocent vina quos tentant, sed & illis amplius quorum oculis temulenta ebriorum membra nudantur. Sed & Loth quem Sodoma non vicit, vina vicerunt. [k] legimus etenim quia patrem earum Loth filię inebriauerunt, dormieruntque cum eo, vt seruare possent ex patre semen earum, ipso interim non sentiente, nec quando accubarunt filiæ cum eo, nec quando surrexerunt; fuit itaque ebrietas origo incestus pessimæ genitricis partus deterior. [l] Abraham porrò, nō vina in suo conuiuio ministrabat, sed vitulum, butyrum, & lac etiàm Angelis hospitibus exhibebat. Rectè enim illic deerat materia peccati, vbi figurabatur Christus per quem nobis confertur remissio peccatorum. [m] Denique annunciauit Dominum Ioannes, neque manducans, neque bibens vinum. Qui enim Christum annunciat, ab omni vitiorum incentiuo se præstare debebat alienum. Nempè confusio, & ignominia est, Iesum crucifixum pauperem, esurientem, & sitientem, felle, & aceto potatum, temulentis concrepare vocibus, & fartis prædicare corporibus, & ieiuniorum doctrinam, rubentes buccas, tumentiaque ora proferre. An non abominatio est cuique fidelium hodie cernere Sacerdotem adhuc semiebrium, & hesternis commessationibus, ac vinolentijs adhuc madidum adhuc despumantem nocturnæ ebrietatis sordes, ad Sacrosanctum altare, munda, ac diuina mysteria celebraturum accedere, & tamèn veteris testamenti [n] Sacerdos nec vinum, nec siceram permittebatur bibere

k *Gen.* 19.
l *Gen.* 18.
m *Matt.* 15.
n *Ezech.* 44.

quando in atrium ſanctuarij debebat intrare? Infœlix [o] digere primum paulisper vinum quo mades, [p] an ignoras, calix Domini inebrians quam præclarus? cumque [q] nullum ſecretum, vbi ebrietas. cur ebrioſo Sacerdoti datur facultas; vt in Sacramentali confeſſione audiat occulta cordis hominum, quæ abſcondere ac celare neceſſe eſt? [r] quando & Regibus dari vinum prohibetur, ne fortè bibant, & obliuiſcantur iudicium, & mutent cauſam filiorum pauperis, & occulta cordis effundant in conſpectu filiorum hominum? Vtere ergò [ſ] Sacerdos vino ſed modico propter ſtomachi & capitis debilitatem. [t] ſanitas quippè corporis, & animæ ſobrius potus, ſi bibas illud moderate, memento quia vinum ab initio creatum eſt in iucunditatem vt [u] lætificet cor hominis, non in ebrietatem, vt confundat intellectum hominis, bibite & inebriamini chariſſimi non à vino in quo eſt luxuria, ſed [x] à vino quod germinat virgines, quouſque [y] bibatis illud nouum in regno Patris veſtri [z] qui inebriabit vos ab vbertate domus ſuæ, & torrente voluptatis ſuæ potabit vos in ſæcula ſæculorum. Amen.

o 1. *Reg.* 1.
p *Pſal.* 22.
q *Prou.* 31.
r *Eccli.* 32.
ſ 1. *Tim.* 5.
t *Eccli.* 31.
u *Pſal.* 103.
x *Zach.* 9.
y *Matt.* 24.
z *Pſal.* 35.

De officijs veri Eccleſiaſtici in Genere.

Quod officium ſacerdotale laborioſius ſit quacunq; exercitatione corporali. Rapſodia XXVI.

ET ſi corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt, [a] pietas autem ad omnia valet. Nihilominus [b] animalis homo, qui non percipit ea quæ Dei ſunt [c] ſol-

a 1. *Tim.* 4.
b 1. *Cor.* 2.
c *Luc.* 10.

licitus tantùm circa plurima huius mundi negotia, eò quod ipse manibus operans satagat circa freque͂s manuale exercitium, artium quas vocant mechanicas. Cumq; videat Ecclesiasticum sedentem iuxta pedes Domini & audientem seu legentem verbum eius, valdè queritur de illo, quod relinquat illum solum laborare, quasi interim exercens se ad pietatem, [d] gratis panem manducet, sitq; eius pietas otiositas potiùs, quàm religiositas. Sic Iulianus ille Apostata ad excusandas excusationes in peccato suæ Apostasiæ diffamat Sacerdotium, tanquàm otium sit ac segnities quædam, clericosq; calumniatur quod Reipublicæ serui inutiles sint, quiq; [f] panem suum otiosi comedant, sic [g] Pharao rogatus à Moyse & Aaron, vt dimitteret ire populum Israel tribus diebus in solitudinem, & sacrificare Domino Deo, religionem, vacationem existimans, respondit, quare sollicitatis populum ab operibus suis, ite ad onera vestra, vacant enim otio, idcircò vociferantur dicentes, eamus, & sacrificemus Domino Deo in deserto, opprima͂tur operibus, & expleant ea. Sic prudentes huius sæculi [h] quia non vident Clericos laborare operibus duris, luti, & lateris, omniq; famulatu, quo in terræ operibus premuntur filij hominum. [i] Non arare in iugis boum [K] non molere in molendino sæculi huius mola asinaria temporalium occupationum [l] improperant ei peccatu͂ otiositatis ac segnitiei dicentes. [m] Quid hic statis Sacerdotes tota die otiosi, cum nos Laici portemus pondus diei & æstus? [n] Nunquid fratres vestri ibunt ad pugnam & vos hic sedebitis? [o] Labores manuum nostrarum nos manducamus, nec tamen beati sumus, aut benè nobis est. [p] Vos autem metitis, quod vos non seminastis, alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis. [q] Ecce nos diu noctuq; æstu vrimur & gelu, fugitq; somnus ab oculis nostris [r] dum nobis nostrisq; familijs [s] soliciti sumus, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur, & per totam diem

d 1. *Cor.* 9.
f *Prou.* 31.
g *Exod.* 5.
h *Exo.* 1.
i 3. *Reg.* 19.
K *Matt.* 19.
l *Sap.* 2.
m *Matth.* 20
n *Num.* 32.
o *Ps.* 117.
p *Ioan.* 4.
q *Gen.* 31.
r *Prou.* 17.
s *Matth.* 6.

ac noctem laborantes vix tantũ lucramur [t] quantùm ſuffi-cit ad refocillandas animas,[u] aquam noſtram pecunia bibimus, ligna noſtra pretio comparamus, clerici verò [x] à fructu frumenti, vini, & olei ſine labore ditati, in pace in idipſum dormiunt, & requieſcunt [y] in lectis eburneis laſciuiunt in ſtratis ſuis, comedunt agnos de grege, & vitulos de medio armenti, canentes ad vocem Pſalterij [z] tenent tympanum & citharam, comedunt ad ſonitum organi, domus eorum ſecuræ, & ab omni tributo immunes, & non eſt virga Dei ſuper illos,[a] bibunt vinum in phialis aureis, deniq; [b] ducunt in bonis dies ſuos [c] epulantes quotidiè ſplendide, & [d] nihil patiuntur, vel compatiuntur ſuper contritione Ioſeph. Nos [e] in ſudore vultus noſtri veſcimur pane noſtro. [f] In animabus noſtris afferimus panem nobis à facie gladij. Pellis noſtra quaſi clibanus à facie tempeſtatum famis. [g] Ipſi autem in labore hominum non ſunt cum hominibus non flagellantur, ideò tenet eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate & impietate ſua, prodit quaſi ex adipe iniquitas eorum. Sic, dicentes, Laici nationē filiorum Dei reprobant, non intelligentes, quia, ſi quis Eccleſiaſticus velit dignè [h] fungi ſacerdotio, & habere laudem in nomine ipſius, munus eius adeò laborioſum, [i] vt vltra vires ſuas ſit negotium, nec ſolus illud ſuſtinere poteſt, niſi ſupponat manum ſuam, is, qui [k] ſolus laborum & dolorem conſiderat. Intelligite inſipientes in populo. [l] In quo laborat Laicus, laborat & Eccleſiaſticus (vt ſapiens dico) plus Eccleſiaſticus. laborat ille & corporaliter fatigatur operando manibus ſuis [m] iſte laborat fatigatus corpore & mente, non tantùm manibus, ſed & toto corde ſuo, tota mente ſua, tota anima ſua, & totis viribus ſuis. Munera enim ſacerdotalia totum requirunt hominē, oportet enim Eccleſiaſticũ eſſe in laboribus plurimis, in orationibus feruentem, in charitate ſupra modum, in operibus miſericordiæ frequenter, in itineribus, periculis

t *Tren.* 1.
u *Tren.* 6.
x *Pſal.* 4.
y *Am.* 6.
z *Iob.* 21.
a *Amos* 6.
b *Iob.* 21.
c *Luc.* 18.
d *Am.* 6.
e *Gen.* 3.
f *Tren.* 5.
g *Pſal.* 82.
h *Eccli.* 42.
i *Exod.* 18.
k *Pſ.* 9.
l 1. *Cor.* 11.
m *Matt.* 12.

vnde-

vndequaq; in labore, & ærumna, in vigilijs multis, in fame & siti, in ieiunijs multis, in frigore, & nuditate, in calore & æstu, præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia orationum quotidiana, librorum assidua lectio; sollicitudo

n Psal. 139. Ecclesiarum, audientia confessionum vsq; ad tædium, diuini verbi opportuna, importunaq; prædicatio. [n] Quoties

o Ps. 32. labor labiorum eius fatigat verum clericum. [o] Quoties laborat clamans & raucæ factæ sunt fauces eius? [p] Quoties

p Ps. 108. genua eius infirmata sunt à ieiunio, & caro eius immutata

q Ps. 37. est propter oleum? [q] Quoties vigilantem in studijs dereliquit

r Exod. 17. eum virtus eius, & lumen oculorum eius? [r] Quoties manus Moysis orantis à mane vsquè ad vesperam, ità præ grauitate & labore earum lassantur, vt indigeant auxilio Aaron & Hur, qui sustentent eas ex vtraq; parte? [s] Quoties à vesperi vsq; ad auroram lassatur & emarcescit

s Gen. 32. fœmur Iacob dùm in oratione tota nocte luctatur cum Angelo, nec dimittit eum donec benedictionem extorqueat, nõ enim exercitium Sacerdotis est, vt aliqui putant [t] igno-

t 1. Reg. 3. rantes Dominum, & officium Sacerdotum ad populum: in

u Act. 6. aulis Principum tanquàm famulos inseruire. [u] Non est æquum nos derelinquere Verbum Dei, & ministrare mensis, qui orationi & ministerio verbi Dei instantes esse debemus. [x] Non sumere arma, pharetram & arcum, & egre-

x Gen. 27.

y Gen. 37. di foras, vt venatu aliquid apprehendamus. [y] Neq; enim Ioseph cum inuenisset eum vir errantem in agro dixit, feras,

z Gen. 25. ceruos, aut capreas, sed fratres meos quæro. [z] Non est sacerdos ex semine Esau, qui erat gnarus venandi, & homo agricola, sed de radice Iacob, qui erat vir simplex ha-

a Gen. 24.

b Baruch. 6. bitans in tabernaculis. [a] Et Isaac egrediebatur aliquãdò in agrum, verum ad meditandum, non ad venandum. [b] Nõ ludere in auibus cæli, sicut Principes gentiũ, qui dominantur super bestias, quæ sunt super terrã. [c] Nõ in foro habens


c 1. Cor. 6. negotium aduersus alterũ interminabiles agere lites. alienũ

d 1. Cor. 1. opus ab eo qui [d] nõ est missus litigare sed euãgelizare. Nõ

à mane

à mane vsq; ad vesperam pro tribunali sedere, & [e] sæcularia iudicia decidere. Qui enim Angelos iudicabimus, indigni sumus, qui de minimis iudicemus. [f] Non ad bella procedere, & percutere hostes in gladio, gladius enim ei conuertendus in vaginam, qui venit mittere pacem. [g] Legimus enim apud Machabæos, quia in die illa ceciderunt Sacerdotes in bello, dum volunt fortiter agere, dùm sine consilio exeunt in prælio. Non ludis aut ludicris seu Scænicis actionibus tanquàm vnum de scurris intendere, ne cõtingat, quod deploratur tempore Machabæorum, quando [h] Sacerdotes iam non circa altaris officia dediti erant, sed cõtempto templo, & sacrificijs neglectis festinabant participes fieri palæstræ, & præbitionis eius iniustæ, & in exercitijs disci. [i] Non sunt hæc onera, hæ artes, hæc munia vestra Sacerdotes, in his quæ Dei sunt oportet vos esse. Sacerdotem oportet sacrificia & oblationes Deo offere, mysteria seu Sacramenta fidelibus ministrare, populum instruere, Ecclesiam Dei regere. Cum ergò per hæc quæ sunt paulo post explicanda [k] intraueris Laice in Sanctuarium Dei, & intelliges in nouissimis eorum, tunc de singulis clericorum officijs cognosces, & fateri cogeris, quia hoc labor est ante te, & super omnes labores tuos, tunc scies quia Sacerdotes non gratis [l] labores populorum possederunt, sed vt custodiant iustificationes Domini, & legem eius requirant. Quod si quidam [m] sunt inter nos ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiosè agentes, ijs ab Ecclesia denuntiandum, vt cum silentio operantes, suum panem manducent. [n] Vos autèm Sacerdotes estote abundantes in opere Domini, scientes, quia labor vester non est inanis coràm Domino.

e 1. Cor. 6.
f Matth. 26.
g 1. Mach. 5.
h 2. Mach. 4.
i Luc. 2.
k Ps. 82.
l Ps. 108.
m 2. Thess. 3
n 1. Cor. 15.



De officijs Sacerdotum in ſpecie, & primo de ſacrificio multiplici. Rapſodia XXVII.

a 1. *Ti.* 1. [a] REGI ſæculorum immortali, & inuiſibili, ſoli Deo
b *Apoc.* 22. honor & gloria, & ſacrificium. Primo [b] quia
c *Rom.* 11. ipſe eſt Alpha & Omega, principium, & finis,
d *Iac.* 1. [c] ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia [d] nam omne donum perfectum, & omne datum optimum deſurſum deſcendens eſt à Patre luminum.
e 1. *Cor.* 4. [e] Quid enim habet omnis creatura, quod non ab eo acceperit,
f *Pſal.* 99. [f] ipſe porrò fecit nos, & non ipſi nos
g *Exo.* 22. [g] iuſtè ergò occidetur qui immolat dijs, præter quam Deo ſoli.
h *Hebr.* 5. [h] Deinde, nõne Sacerdos conſtituitur in his quę ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis?
i *Luc.* 5. [i] Quis autèm poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus, cuius etiàm vice fungitur Sacerdos, quum à peccatorum nexibus quempiam abſoluit? Soli ergò Deo ſacrificium offerendum. Sic enim ſcriptum eſt
K *Deut.* 6. [K] Dominum Deum tuum adorabis, cultu ſcilicet latriæ, quæ per ſacrificia exhibetur, & illi ſoli ſeruies,
l *Pſal.* 101. [l] quia ipſe & non alius eſt pater tuus qui fecit te, & creauit te, & poſſedit te. Sicut autem
m *Deut.* 6. [m] diligendus, ità adorandus eſt Deus ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex totis viribus, tàm internis quàm externis, quin & de omni ſubſtãtia tua. De corde nemo dubitat, quia
n *Pſ.* 50. [n] ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpiciet. De ore. Immola, inquit Pſaltes,
o *Pſal.* 49. [o] Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua. De corpore, numquid nõ obſecrat nos Apoſtolus,
p *Rom.* 12. [p] vt exhibeamus corpora noſtra hoſtiam viuentem ſanctam Deo placentem? Sicut & Dauid dicit
q *Pſal.* 5. [q] Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ,
r 1. *Cor.* 9. [r] caſti-

gantes

gantes nimirum corpus noſtrum, & in ſeruitutem ſpiritus redigentes, nè forte contumax ac reprobum efficiatur. [s] Talibus enim hoſtijs promeretur Deus. Non ſolum autem, ſed & [t] honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitijs frugum tuarum da pauperibus, nempè propter Deum. Et [u] tunc acceptabit Dominus de manibus tuis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta, quæ offerenda ſuper altare impoſueris, ſicuti [x] accepta habere dignatus eſt munera pueri ſui Abel, [y] & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ, [z] & quod illi obtulit ſanctus Sacerdos eius Melchiſedech, quum obtulit panem & vinum. [a] Sed hæc omnia in figura contingebant illis, in figura vtiq; ſacroſancti ſacrificij, immaculatæ hoſtiæ, veri ſcilicet corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod ſuper altare nouæ legis offertur; quæcunq; enim Sancti Patres antiquæ legis in ſuis ſacrificijs obtulerunt, ſiue de quadrupedibus, vitulos, agnos, arietes, hircos, ſiue de volatilibus turtures, & pullos columbarum; ſiue de fructibus terræ, panem & vinum, & oleum, ſiue quæcunq; holocauſta & hoſtias pacificas, in hoc ſacroſancto ſacrificio inſtaurantur, hæc vna oblatione perficiuntur, qua [b] Chriſtus tradidit ſemetipsũ pro nobis in ara Crucis, oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. Iam verò ab ortu [c] Solis vſquè ad occaſum, magnum eſt, inquit Deus, nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo, oblatio munda, ſcilicet iuge ſacrificium, per quod omnium legalium ceſſauit ſacrificium victimarum, nimirum [d] in ara Crucis conſummatum eſt, propterea de illis ſcriptum eſt, [e] Hoſtias & oblationes, & holocauſtomata pro peccato non poſtulaſti, nam [f] holocauſtis non delectaberis, [g] nec enim omninò placita ſunt tibi, quæ ſecundum legem offeruntur, quippè quæ nunquam poſſunt auferre peccata, cum impoſſibile ſit ſanguine hircorum, aut vitulorum auferri peccata, [h] Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futuro-

s 1. Cabr. 13
t Prou. 3.
u Pſalm. 50.
x Gen. 3.
y Gen. 22.
z Gen. 14.
a 1. Cor. 10.
b Epheſ. 5.
c Mal. 1.
d Ioh. 19.
e Pſ. 19.
f Pſ. 50.
g Heb. 10.
h Heb. 9.

rum

rum bonorum, non per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem. introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta, & vnam pro peccatis offerens hoſtiam [i] conſummauit in ſempiternum ſanctificatos. Hanc oblationem quam ſemel ipſe pro nobis in ara crucis non ſine ſanguine obtulit ſummus Sacerdos & Pontifex Chriſtus eandem incruentam, [K] Omnis Sacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & per ſingulos dies offerens in altari ſacroſanctum videlicet Miſſæ ſacrificium, immaculatã hoſtiam, panẽ ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ. Cæteris ergò ſacrificijs de quibus non eſt modo dicendum per ſingula, penitùs prętermiſsis, de ſacrificio Miſſæ primùm; deindè de ſacrificio laudis, quod Eccleſiaſticus Sacerdos per ſingulos dies in Eccleſia iubetur offerre, dicendum nobis eſt in his quæ ſequuntur.

i *Heb.* 10.
k *Hebr.* 10.

De Sacrificio Miſſæ deuotè celebrando. Rapſodia XXVIII.

CVM igitur iam non amplius Sacerdos Euangelicus [a] imponat ſuper altare Domini antiquæ legis vitulos, [b] ſed vitulum illud ſaginatum [c] cuius adipe & pinguedine replẽtur animæ fidelium. propterea iubetur indui ſtola prima, & dari annulum in manu eius, & calceamenta in pedibus eius, & amictum in capite eius, cæteriſquè Sacerdotalibus indumentis exornari, non ſolùm vt habeat [d] decus in celebrationibus Miſſarum, & laudet nomen ſanctum Domini, & per hoc iuge ſacrificium, amplificet mane Dei Sanctitatem, ſed etiàm vt per hæc intelligant Eccleſiaſtici, nẽ temerè ad tanta ac talia tractanda myſteria accedant imparati, [e] ſed prius Sacerdotes Dei induant iuſtitiam, fidem, charitatem, cæteraſq; virtutes,

a *Pſ.* 50.
b *Luc.* 15.
c *Pſal.* 62.
d *Eccli.* 47.
e *Pſal.* 131.

quæ

quæ per eadem indumenta designantur: [f] vt igitur non in sacrificijs tuis arguat te Dominus, holocausta autèm tua in conspectu Dei sint semper. audi & obserua, quæ pręcipit Deus, vt faciant Sacerdotes celebraturi tantum sacrificium. [g] Sacerdotes qui accedunt ad altare sanctificentur, ne percutiā eos dicit Dominus, sanctificabunt autèm se, si per quosdam actus mentis inter nos præparauerint corda suo Domino, [h] accedentes ad cor altum, vt per eleuationem mentis in Deū exaltetur Deus in ipsis. Horum autèm mentalium actuum quidam excitādi & exercitādi sunt antequàm quis celebraturus accedat, alij in ipso accessu, alij verò post peractum sacrificium, quorum singulos insinuabimus, vt in eo se quis quis Sacerdos exerceat, in quo se magis posse proficere existimabit.

f Psal. 49.
g Exo. 19.
h Psal. 63.

Primo igitur, excitet se Sacerdos ad præparandas vnigeniti filij Dei vias, orando Deum vt Spiritus sanctus adueniens templum gloriæ suæ illum dignanter inhabitando perficiat, & conscientiam suam visitando purificet, quatenùs veniens Dominus noster paratam sibi in eo inueniat mansionem. Ad hanc autèm præparationem inducunt sequentes rationes, quas solùm attingemus. Prima est, exemplum tùm sæcularium quando recepturi sunt in domo sua insignem hospitem. tùm primæ nascentis Ecclesiæ fidelium, in quibus is feruor vigebat, quo possent singulis diebus offerre, ac sumere venerabile sacramentum altaris. Secunda Crebra commonitio scripturarum, quæ nos ad hanc incitant præparationem. Sic per Amos Prophetā nos Deus admonet, [i] Præparare in occursum Dei tui, quia ecce ego veniam, & manebo in medio tui. [K] Et iterum; Præparate corda vestra Domino. Et rursus: [l] Beati qui parati sunt occurrere illi. Sed & in huius figuram, ait Moyses, [m] Sanctificamini & estote parati, cras enim comedetis carnes. Tertia Sanctorū Patrum vnanimis ad hoc exhortatio. Quarta hoc dignum est propter tanti sacrificij excellentiā.

i Amos 4.
k 1. Rog. 7.
l Luc. 12.
m Leu. 2.

Quinta

Quinta. Vtile quoq; propter multiplices, qui, inde referuntur fructus. Sexta. [n] Quia beneplacitum est Domino super timentes eum, qui autem timent Dominum præparabunt corda sua. Deniq; septima. [o] necessarium est, ne accedas indigne.

n *Ps.* 149.
o *Eccli.* 12.

Secundo. Sacerdos celebraturus recogitet, quid agere debet, quid eum inducere, ac quomodo accedere, scilicet, quod Deo altissimo omnium conditori per sanctum sacrificium supremum latriæ cultum, debet totius mundi vices agens deuotus exhibere dona pro beneficijs, & sacrificia pro suis, cunctorumq; mortalium peccatis offerens, Dei propitiationem impetrare panem in corpus, & vinum in sanguinē Christi, consacrando transubstantiare, quo nihil maius effici potest. Deniq; [p] panem de cælo præstitum, panem vtiq; Angelorum manducare. Secundo consideret [q] an inclinet cor suum ad sacrificādum propter retributionem temporalis mercedis, quam inde habet; multi siquidem Sacerdotes [r] mercenarij sunt, qui in domo Dei comedunt panem sanctum vitæ æternæ, & bibunt calicem salutis perpetuę non propter Christum, sed propter lucrum [s] quæstum existimantes pietatem. Quum tamen sacrificiū hoc offerri deberet. [t] Primo vt honorificetur in illo Deus & pater Domini nostri Iesu Christi. Secundò. Quia nihil pretiosius habemus [u] quid retribuamus Domino pro omnibus, quæ retribuit nobis, quam si calicem salutaris accipiamus, & nomen Domini inuocemus. Tertio. Vt carnem Christi & sanguinem eius sumentes, ipse in nobis iugiter maneat & nos in eo, & efficiamur vnum cum illo, sicut ille & pater vnum sunt. Quarto. Vt onerati graui iugo, quod portāt omnes filij Adam à Christo reficiamur, iuxtà quod ipse dicit: [x] vènite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis & ego reficiam vos. Quinto. Vt tanta mysteria sicut sanctis ad honorem, ità nobis proficiant ad salutem, & illi pro nobis intercedere dignētur in cælis, quorum per hæc

p *Ps.* 77.
q *Psalm.* 118
r *Luc.* 15.
s 1. *Tim.* 6.
t 1. *Pet.* 4.
u *Psal.* 115.
x *Matth.* 11

ſacrificia memoria agimus in terris. Sexto. Charitas proximi vrget nos, vt ſacrificemus tàm pro viuis, quam pro defunctis, ità vt ſanguis Chriſti, qui effuſus eſt ſuper ara crucis, de altari clamet ad Deum [y] magis quàm ſanguis Abel, non ad vindictam, ſed ad miſericordiam pro omnibus hominibus implorandam. Septimo. Peccata quoq; noſtra quæ Eleemoſynis pauperum, aut pœnaliũ operum tolerantia, ſatis non valemus redimere, vel ſacrificijs redimamus. Deniq; infirmitates noſtræ, tribulationes noſtræ, neceſſitates noſtræ cõpellũt nos, vt Dei opem per ſacrificia efflagitemus, ſcientes quia [z] virtus de illo exit, & ſanat omnes, [a] quia ſi nobiſcum erit in tribulatione, eripiet nos & glorificabit nos, & [b] non iam cibabit nos pane lachrymarum, ſed [c] hauriemus ſanguinem, & aquam in gaudio de fontibus Saluatoris.

y Heb. 12.
z Luc. 6.
a Pſal. 90.
b Pſal. 97.
c Iſaiæ 12.

Tertio. His conſideratis antequàm [d] tranſeat Sacerdos in locum tabernaculi admirabilis vſq; ad domum Dei, ne forte de pane illo edat, & de calice bibat indigne, [e] probet ſeipſum homo. Primo. [f] Si filius Dei eſt, quia non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. Secundo. [g] Si eſt diſcipulus Chriſti. Accepit enim Ieſus panem, & cæt. deditq; diſcipulis ſuis, [h] in hoc autèm cognoſcent homines, quia diſcipuli mei eritis ſi inuicem diligatis. Tertio. Si mundus eſt. [i] Nam & Abimelech noluit dare panes propoſitionis Dauid, niſi eſſent munda vaſa puerorum præſertim a mulieribus. Quarto. Si magnus eſt non corporis mole, ſed animi virtute. Nam cibus inquit ſum gradium, creſce & manducabis me. Quinto. [K] Si amicus. nam in hoc Sacramento tres panes, hoc eſt tres ſubſtantias accommodari ſibi petit amicus, hoc eſt, verbum, animum, & carnem Chriſti. Sexto. Si ſanus, quia palato non ſano pœna eſt panis, qui ſano eſt, ſuauis. Septimo. Si famelicus, quia ſcriptum eſt: [l] eſurientes impleuit bonis, faſtidioſos diuites dimittens inanes. Et iterum [m] frange

d Pſal. 41.
e 1. Cor. 11.
f Matt. 15.
g Matt. 26.
h Ioh. 13.
i 1. Reg. 21.
k Luc. 11.
l Luc. 2.
m Eſa. 58.

esurienti panes tuos. probet fidem suam, si supplet sen-
n 1. *Ioh.* 4. suum defectui. [n] Probet Spiritus, hoc est si desideria, affectiones, intentiones, cogitationes, & studia sua in Deo sunt. Probet cor suum [o] si reprehendit, & arguit
o *Ioh.* 8. p *Rom.* 9. eum de peccato. Probet conscientiam suam. [p] Si testimonium perhibet illi, quod alicuius lethalis criminis, vel prauæ affectionis reus existat, si habeat in se dispositiones &
q *Exod.* 16. circumstantias, quæ [q] requirebātur ad esum Agni paschalis,
s *Matt.* 27. [s] Si conditiones & circumstantias sepulchri, in quo
t 2. *Co.* 6. corpus Christi conditum fuit, in se inueniat. Deniq; [t]
u 4. *Reg.* 5. expurgate, inquit Apostolus, vetus fermentum. [u] Lauate vos septies in Iordane lachrymarum, ità vt caro & ani
x *Matt.* 18. ma vestra, sit, sicut caro & anima pueri. [x] Nisi enim prius efficiamini mundi sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum, ità intrare non audeatis ad Sancta San-
y *Sap.* 6. ctorum, sicut enim in illud, [y] ita ad ista nihil inquinatum introibit.

z *Matth.* 18. Vt autem [z] inueniat Dominus domum cordis tui non solùm scopis mundatam, sed & virtutibus ac sanctis me-
a *Psal.* 49. ditationibus exornatam. Memento, quia domum [a] Dei
b *Heb.* 9. decet non solùm munditie s, sed & sanctitudo. cogita [b] quia aurea erat vrna, in qua erat manna reconditum. aspi-
c *Gen.* 1. ce [c] quia cælum quod est sedes Dei, stellarum ornamento refulget, & ad horum exemplum adorna thalamum tuū Sion. & suscipe regem Christum. Insuper, quia non licet sine lumine sacrificium facere, in lumine autèm sunt splendor, qui fulget, & ignis qui ardet. accende in te affectum timoris, pariter & amoris, seu desiderij; timoris quidem cogitans, quis est is, quem sumere debes in Eucharistia, quo scilicet nihil maius cogitari potest, cuius
d *Matt.* 3. sanctum verticem [d] sanctus præcursor Baptista contremiscit, & nō audet tangere, quem princeps Apostolorum Petrus pro sua reuerentia à se repellit dicens: [e] Exi à me Do-
e *Luc.* 5. mine, quia homo peccator sum, quem adorant Domina-

tiones

tiones, & tremunt poteſtates, ſub quo [f] curuantur qui portant orbem, & cum his omnibus Sacerdos cum nihil aliud ſit quam [g] inutilis homo & abominabilis, qui bibit quaſi aquam iniquitatem, tractare & conficere debet Sacramentum ſacramentorum, ſacramentum in quo [h] memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator Dominus, dans corpus ſuum in eſcam timentibus ſe, [i] omnis conſumationis & omnium ſacrificiorum in eo conſtituens finem; Amoris etiàm [K] in meditatione tua exardeſcet ignis ſi recogites corde, quia ad hoc inſtituit Chriſtus hoc venerabile ſacrificium pariter & ſacramentum, vt hæc [l] quotieſcumq; fæceremus, in eius memoriam faceremus, vt per hoc fideles [m] vitam habeant & abundantius habeant, dum in eis qui illud non indigne percipiunt gratiam ſemper auget. prætereà vt præſentia ſuæ Maieſtatis eſſet omnibus diebus nobiſcum [n] vſq; ad conſumationem ſæculi, vt per hoc deniq; guſtes, [o] & videas quoniam ſuauis eſt Dominus, cum illud manducanti detur manna abſconditum, & nomen nouum. Vere etenim [p] in latibulo hoſtiæ ſanctæ eſt Deus abſconditus. Proponas deindè in animo tuo, vt offeras ſacrificium ſanctum, non ſolum in recognitionem diuinarum perfectionum, & præſertim Dominij & cauſalitatis quam habet Deus ſuper vniuerſam creaturam quæ in eſſe ab eius nutu dependet; verum etiam in ſatisfactionem peccatorum tuorum, in ſubſidium tuarum neceſſitatum, in conſecutionem tuarum petitionum, offer illud quoquè pro omni ſtatu Eccleſiæ, vt ſanctificetur in ea nomen Domini, pro defunctis, vt eis adueniat regnum Dei, pro errantibus & infidelibus, vt in eis fiat voluntas Dei. pro pauperibus, viduis, & orphanis, vt Dominus det eis panem ſuum quotidianum. pro exiſtentibus in peccato, vt Deos conuertat eos & dimittat illis debita decem millium talentorum, pro quibus diuinæ iuſtitiæ ſunt obligati. pro tentatis, ne eos ſinat à Dæmone, à

f *Iob.* 9.
g *Iob.* 15.
h *Pſal.* 100.
i *Pſal.* 118.
k *Pſal.* 38.
l *Luc.* 22.
m *Iob.* 10.
n *Math* 28
o *Pſal.* 33.
p *Eſa.* 45.

Mundo, vel à carne in tentationem iudici. pro tribulatis, vt Dominus liberet eos à malo. sic itaq; dispositus [q] accede cum fiducia ad thronum gratiæ Dei. [r] Ingredere benedicte Domini, [s] transi in locum tabernaculi admirabilis vsq; ad domum Dei, intro eas ad Altare Dei, offer mane sacrificium, age quod agis, serio & attente, cauens [t] ne cum Iuda illum amicabiliter suscipias, & postea inimicis tradas, ità vt de te dici valeat, [u] ecce manus tradentis mecum est in mensa. Cum ergò sumpseris corpus & sanguinem Christi, [x] caue ne statim anima tua nauseet super cibo isto pretiosissimo, [y] & diuitias quas deuorauit celeriter, & indeuotè sumendo euomat. caue ne statim peracto sacrificio ad solitas extrouersus mentis euagationes, in eorum numero sis de quibus dixit Dauid. [z] Filij mortis estis vos, quia non custodistis Christum Domini [a] teneas ergò illum & custodi caute, [b] intra in cubiculum tuũ, & clauso super te ostio sensuũ primo in [c] omnibus gratias age Deo per filium eius Iesum Christum, qui dedit semetipsum pro nobis nascens in socium, se moriens in pretium, conuescens in edulium, vt postea se regnans det in præmiũ. Gratias age, quia [d] magna & prætiosa, magno tibi promissa donauit affectu, quia desiderio [e] desiderauit hoc Pascha manducare nobiscum [f] super vinum & super triticum ruminabis exercens te in sanctis meditationibus, [g] oportet enim tunc fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, quando pro omnibus hominibus Deo sacrificium obtulisti, sic enim faciens [h] placebit Domino sacrificium Iuda & Hierusalẽ, sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui, in quibus primi illi Sacerdotum principes erant perseuerãtes quotidie in oratione, & in fractione panis.

q. *Heb*4..
r *Gen*.42.
s *Psal*. 41.
t *Matt*. 26.
u *Luc*. 22.
x *Num*. 21.
y *Iob*. 20.
z 1. *Reg*.26.
a *Matt*. 24.
b *Matt*. 6.
c 1.*Thes*.2.
d 2.*Pet*. 1.
e *Luc*. 22.
f *Oseæ*. 8.
g 1. *Tim*.2.
h *Matth*. 3.

Quod Sacerdotes teneantur diuina frequentare Myſteria. Rapſodia XXIX.

QVIA Sacerdotum eſt, & conficere, & frangere panem Sacramentalem fidelibus, qui propterea à Sacerdore illum [a] quodammodo, poſſe petere videntur dicentes; Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. quotidie quoq; in Miſsæ ſacrificio deberent illud conficere, ne de eis conqueratur populus, & dicat, quia [b] paruuli petierunt panem, & non fuit qui frangeret eis. Meminerint Sacerdotes, quia [c] ex hominibus aſſumpti ſunt, vt vice totius humani generis dona pro beneficijs acceptis, & ſacrificia pro peccatis perpetratis offerant Deo. Propterea & de eis dicitur, quia [d] peccata populi mei comedent, quia videlicet ideò communibus populi ſtipẽdijs, aluntur, vt quotidianis ſacrificijs, quotidiana totius mundi peccata diluant. quotidie enim peccãtibus nobis, & quotidie bona de manu Dei accipientibus neceſſe eſt etiã eſſe, qui quotidie offerat ei gratiarum actiones, & faciat ſacrificia pro peccatis, alioquin ſicut quidam dicit: Audietur in iudicio vox populorum Sacerdotes accuſantium, quorum nimirum vixere ſtipendijs nec diluere peccata. Propterea & Dominus ſicuti olim præceperat offerri ſibi victimas & ſacrificia veſpere & mane, dicens: [e] Oblationes meas, & panes meos, & incenſum odoris ſuauiſſimi offerte per tempora in holocauſtum ſempiternum, vnum offeretis mane, alterum ad veſperum. Sic ſacrificia negligentibus comminatur exterminium dicens: [f] Si quis mundus eſt, & in itinere non fuerit, & tamen nõ fecerit phaſe exterminabitur anima illa de populo, quia ſacrificium

a Matth. 6.
b Tren. 5.
c Heb. 5.
d Oſe. 4.
e Num. 28.
f Num. 9.

non obtulit Domino tempore suo. Quos enim non trahit tanti Sacramenti suauitas, cogit officij necessitas, vt illud frequenter efficiant, ne suscepti ordinis gratiam in vacuum recipiant. ad illud enim non accedere Sacramentum ex notabili negligentia, damnabilis est culpa, quia qui celebrationem omittit, quantum in ipso est, priuat Sanctissimam Trinitatem gloria adorationis, quæ per sacrosanctum sacrificium illi est exhibenda, Angelos lætitia, quam concipiunt super sacerdote sacrificium deuote celebrante; peccatores venia, quam per sancta sacrificia facile possent obtinere. iustos quoquè gratia, quæ per Missarum oblationes supra modum in eis augetur. Defunctorum fidelium animas refrigerio. vnde, & clamant

g *Iob.* 19. ad Sacerdotes quotidie. [g] Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei. Ecclesiam etiàm spiritali beneficio, quippè omnis Ecclesia particeps est omnium sacrificiorum seipsum, medicina, & remedio aduersus quotidiana peccata. Nam hoc sacramẽtum si nõ indigne sumatur, peccati fomitem minuit, & libidinis extinguit ardorem, purgat mentem, illuminat intellectum, accendit af-

h *Iob.* 7. fectum, roborat animam, [h] & totum hominem sanum facit. Præterea qui raro celebrat, non solum se priuat plurimis fructibus, quos ex ligno Paradisi in medio Ecclesiæ plantati posset excerpere, sed contemnit etiàm Christi præceptum. populi fraudat intentum. Dei euacuat cultum, nec extimescit tonitrua grauium comminationum,

i *Ps.* 65. k Ioh. 7. quibus [i] intonuit de cælo Dominus, terribilis in consilijs super filios hominum. [k] Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non ha-

l *Heb.* 10. bebitis vitam in vobis. [l] Sit ergò Sacerdos præsto quotidie ministrans, & easdem sæpè offerens hostias quæ semper possunt auferre peccata. augere gratiam, & impe-

m. *Ose.* 8. trare dona, sed ità viuat, vt quotidie sacra facere sit vel non indignus, ne illud Prophetæ contingat. [m] Mul-

tiplicauit

tiplicauit Ephraim altaria ad peccandum, factæ sunt eis aræ in delictum.

De Sacerdotibus indignè sacra peragentibus. Rapsodia XXX.

ECCE [a] positus est hic, scilicet Christus in Sacramento altaris in ruinam, & in resurrectionem multorum scilicet Sacerdotum. Mors enim est malis sacerdotibus, qui non verentur diuina mysteria peccatorum maculis polluere, sacra non lotis manibus, & animabus pertractare, [b] corpus Christi manducare, & sanguinē bibere indignè, & ideò iudicium corporis, & animæ sibi manducant, & bibunt, non dijudicātes corpus Domini, Vita verò, est bonis Sacerdotibus, qui deuotè ac reuerenter celebrantes [c] manducant Christi carnem, & bibunt eius sanguinem, vnde & habent vitam æternam. [d] Hoc autem opus eorum, qui conscij sibi lethalis criminis diuina audent tractare mysteria. de quibus conqueritur filius Dei apud Patrem dicens: [e] Dederunt in escam meam fel, scilicet peccati, idcircò fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum, obscurentur oculi eorum ne videant [f] excæcante eos malitia eorum dorsum eorum semper incurua, ità vt præ obstinatione [g] oculos suos statuant declinare in terram [h] donec fodiatur peccatori fouea, & incidat in eam. [i] Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos, sicut indigne audent comprehendere corpus meum. Et quia quem tu semel percussisti per manus Iudæorum, iterum persequuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt vulne-

a *Luc.* 20.
b 1. *Co.* 11.
c *Ioh.* 6.
d *Ps.* 108.
e *Psal.* 68.
f *Ioh.* 14.
g *Ps.* 16.
h *Psal.* 91.
i *Psal.* 98.

ra peccatorum, iterum crucifigentes filium Dei in semetipsis, & ostentui habentes. appone iniquitatem super iniquitatem eorum, ità vt [K] In sordibus existentes sordescant adhuc, [l] & de peccato damnetur peccatum eorum, quousquè compleatur malitia eorum, [m] & deleantur in perpetuum de libro viuentium, & cum iustis non amplius scribantur. Et sicut intrauit Diabolus in cor Iudæ, qui indignè communicauit in mensa Domini, [n] Sic Diabolus stet à dextris eius, qui temerè audet in sui damnationem in peccato sumere buccellam corporis Christi, & cum iudicatur, exeat condemnatus [o] reus est enim corporis, & sanguinis Domini, non minus Sacerdos, qui tradit Christum peccatoribus membris, quam Iudas qui tradidit eum crucifixoribus Iudæis, nec minus iste ore, quam ille, [p] osculo filium hominis tradit. de vtroque enim queritur filius Dei dicens, quia [q] os peccatoris & os dolosi super me apertum est, os quippè peccatoris, os impij Sacerdotis vtiq; est, os autèm dolosi, os Iudæ, qui simulata amicitia, osculo filium hominis tradidit, idcirco & in hoc, & in illo porrò impletur, quòd dictum est: [r] Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, [s] ille enim abiens laqueo se suspendit, & crepuit medius, [t] iste verò induit maledictionem sicut vestimentum, quæ & intrat sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius. [u] Panis eius in fel ei vertitur aspidis. Adhuc enim in eo verificatur sermo, qui scriptus in Malachia Propheta, dicit Dominus Exercituum ad vos ò Sacerdotes [x] qui despicitis nomen meum, & offertis super altare meum panem pollutum, & vobis mensa Domini despecta est. Ecce oblatio vestra fiet vobis in peccatum, quia contaminastis illam quod cum de hostia Sacramentali dici nequeat, in caput vtique Sacerdotis conuertatur necesse est. [y] Maledicam be-

K *Apoc.* 22.
l *Rom.* 8.
m *Psal.* 88.
n *Psal.* 108.
o 1. *Cor.* 11.
p *Luc.* 22.
q *Psal.* 108.
r *Psal.* 77.
s *Matt.* 27.
t *Ps.* 68.
u *Iob.* 20.
x *Mala.* 1.
y *Mala.* 20.

nedictionibus vestris, & maledicam illis, quia non posuistis super cor. Ecce ego proijciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarũ, [z] talibus hostijs quæ offeruntur à Sacerdote polluta labia, & immundam conscientiam habente, non vtique promeretur Deus, sed irritatur. [a] Irritam quis faciens legem Moysi sine vlla miseratione, moritur, sicut scriptum est. [b] Anima polluti quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino peribit de populis suis, quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Quantum enim in te est, qui indignè tractas diuina mysteria, corpus Christi polluis, & sanguinem eius inutilem facis. [d] Quę enim vtilitas in sanguine meo dicit Dominus, dum descendo non in ablutionem, sed in corruptionem eius scilicet, qui illud in peccato sumens, facit, vt sanguis alioquin viuificus ei vertatur [e] in venenum aspidum insanabile? [f] Voluntarie enim peccantibus nobis, & nihilominus offerentibus, ac sumentibus hostiam sanctam, hostiam immaculatam, iam non relinquitur hostia pro peccatis, si enim medicina ipsa fit venenum, in quo sanabitur quis? [g] propter hoc infirmantur, & dormiunt multi. Caucete ergo vobis Sacerdotes, ne iudicium vobis manducetis, & sumatis, [h] Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. [i] quomodo non timent ne cum Oza percutiantur, [K] vel cum Bethsamitis arcam Domini non ea qua decedat reuerentia & cultu excipientibus perimantur, qui quo ore osculantur labia meretricis, audent sumere filium virginis? & hesterna adhuc ebrietate madentes, vinum illud audent sumere [l] germinans virgines, & scandalum ponunt apud eos, qui cum eos heri viderint ad mensam potitare diaboli, iam hodie illos vident adhuc semiebrios ad mensam sacrificare Christi. [m] Videte fratres quia non po-

z *Heb.* 13.
a *Heb.* 12.
b *Luc.* 7.
c *Heb.* 10.
d *Ps.* 29.
e *Deut.* 32.
f *Heb.* 10.
g 1. *Cor.* 11.
h *Heb.* 10.
i 2. *Reg.* 6.
k 1. *Reg.* 6.
l *Zach.* 9.
m *Cor.* 10.

testis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ demoniorum.[n] Iudicate magis ne ponatis scandalum fratri, bonum est non sacrificare propter reuerentiam, in quo frater tuus scandalizatur, Emundet ergò primùm seipsum Sacerdos,[o] digerat prius vinum quo madet, vinum eius primùm misceatur aqua lachrymarum,[p] & sic de pane illo edat, & de calice bibat, & meminerit quia calix[q] benedictionis cui benedicimus, communicatio sanguinis Christi est, & panis quem frangimus participatio corporis Domini, & ideò caueat sibi ne ebrius illum ebibat, & illotis manibus de isto pane edat, ne denique quod multi faciunt, non minùs irreuerenter, quàm festinanter, sacra prophanet potiùs quàm peragat. Nam si[r] maledictus est, qui facit opus Dei negligenter, an putas quia non erit & maledictus, qui facit opus Dei irreuerenter, prorsus & indeuote?

n *Rom.* 14.
o 1. *Reg.* 1.
p 1. *Cor.* 11.
q 1. *Cor.* 10
r *Hier.* 48.

De Ministris altaris. Rapsodia XXXI.

QVONIAM verò in hoc verus est sermo, quia ex Ecclesiasticis alius est, qui sacrificat, & alius est qui ministrat, nã & plures sunt ordines ministrantium, nunquàm enim Sacerdos sine ministro sacrificium offerre consueuit, semper[a] Ionatham præcedit armiger eius[b] à Moyse minister eius Iosue non recedit, &[c] Samuel ministrabat ante faciem Domini puer accinctus Ephod lineo,[d] sed & Aaron præcepit Dominus vt constitueret fratres eius de tribu Leui, qui præsto essent & ministrarent sibi, quibus & constituit omnes decimas Israel in possessionem eorum pro ministerio, quo seruiebant in tabenaculo fœderis.. Vt non accedant, inquit, vltra filij

a 1. *Reg.* 14
b *Exod.* 32.
c 1. *Reg.* 2.
d *Num.* 19

filij Iſrael, ſcilicet Laici ad tabernaculum, nec committāt peccatum mortiferum, ſolis filijs Leui mihi in tabernaculo ſeruientibus. Hi probentur primum & ſic miniſtrent nullum crimen habentes. [e] Diaconos enim & Hippodiaconos, cæteroſq; inferioris ordinis miniſtros oportet ſimiliter pudicos eſſe, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes habentes myſterium fidei in conſcientia pura. [f] Acceptus enim Domino miniſter intelligens. [g] Vidiſti virum velocem in opere ſuo coram Regibus ſtabit, nec erit antè ignobiles, tales oportet eſſe & miniſtros Chriſti, qui deſeruiant Altari, qui ſcilicet ſint [h] innocentes manibus & mundo corde, quia ſcriptum eſt. [i] Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabit, & ad eos ſpectat, quod dicitur. [K] Mundamini qui fertis vaſa Domini, & qui miniſtrant in domo Domini, [l] erunt omnes docibiles Dei. Qui ergò ad miniſteriū Altaris electi ſunt, [m] in omnibus exhibeant ſemetipſos ſicut miniſtros Dei. Miniſterium ſuum impleant, ac ſedulò ſeruiant Sacerdoti, vt non vituperetur miniſterium eorum. Nec pudeat eos eſſe tanti ſacrificij miniſtros, nam ſumma ingenuitas eſt, vbi ſeruitus Chriſti comprobatur, cui Angelorum [o] millia millium miniſtrant ei, & decies centena millia aſſiſtunt ei vtique in hoc venerabili ſacrificio. [p] Quin immò omnes aſſiſtunt velut adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. [q] Sed & qui bene miniſtrauerint, gradum bonum ſibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto Ieſu, magnum enim honoris gradū promittit Chriſtus his, qui benè illi miniſtrauerint. [r] Qui mihi, inquit, miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus, qui in cælis eſt. Qui ergò Miſſæ miniſtrant, in miniſtrando diligenter aſſiſtant, [ſ] oculi eorum, ſicuti oculi ſeruorū in manibus Dominorū ſuorum cauentes, ne quid deſit eorum, quæ ad peragēdum ſacrificium requiruntur, [t] & omnia munda ſint illis.

e 1. *Tim.* 3.
f *Prou.* 14.
g *Prou.* 22.
h *Pſ.* 14.
i *Pſ.* 100.
k *Eſai.* 52.
l 2. *Tim.* 2.
m 2. *Cor.* 5.
n 2 *Tim.* 4.
o *Dan.* 7.
p *Heb.* 1.
q 1. *Tim.* 3.
r *Ioh.* 12.
ſ *Pſ.* 122.
t Ioh. 12.

De


De Sacrificio laudis, quod alterum est ex præcipuis veri Ecclesiastici officijs, & primò de Laudibus diuinis in genere. Rapsodia XXXII.

POST sacrificium Missæ, in quo Sacerdos offert altissimo Deo verum corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sequitur vt [a] per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo placentem, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius, hoc enim nimirum Deo honorificum, & nobis saluberrimum, à nobis exigit Dominus per Prophetam dicens. [b] Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam illi salutare meũ, hoc sæpè Dauid offerebat: [c] Tibi, inquiens, sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo. [d] Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude, & placebit Domino super vitulum nouellum cornua producentem, & vngulas. [e] Hoc in ventre Cæte obtulit Ionas. Ego autèm, dicit, in voce laudis immolabo tibi pro salute mea. Et quidèm [f] te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Ierusalem. [g] Tu es enim laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula. [h] Vnde generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiã tuam pronuntiabũt. Magnificentiã gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt, & virtutem terribiliũ tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt. [i] Sed quis enarrabit & quis magnificabit eum sicuti est ab initio? Laudabilis Dominus & magnus vehementer, & mirabilis potentia eius, glorificate Dominum quantumcunque potueritis, superualebit adhuc, & admirabilis magnificentia eius, benedicentes Dominum exaltate illum quantum potestis, maior est

a Heb. 13.
b Ps. 49.
c Ps. 15.
d Ps. 68.
e Ionæ 2.
f Ps. 64.
g Dan. 3.
h Ps. 144.
i Eccl. 43.

enim omni laude. [k] Laudate ergò Dominum quoniam bo- k Ps. 144.
nus, psallite nomini eius quoniam suaue. Non solum autèm
sed [l] & demus laudem Domino super omnibus, quæ red- l Esd. 63.
didit nobis Dominus, & super multitudine bonorũ, quæ lar
gitus est secundum indulgentiam suam, & secundum mul-
titudinẽ misericordiarum suarum. [m] Si enim anima mea m Ps. 118.
laudabit te Domine, vtique expedit mihi, quia iudicia tua
adiuuabunt me. [n] Si laudans inuocabo Dominum, ab ini- n Ps. 107.
micis meis saluus ero, [o] & si laudabunt Dominum qui re- o Ps. 21.
quirunt eum, viuent corda eorum in sæculum sæculi. Lau- p Ps. 32.
dabo ergò & [p] benedicam Dominum in omni tempore, in
omni loco, in omni modo [q] per singulos dies benedicam q Ps. 144.
tibi. [r] Vespere, mane, & meridie narrabo & annuntiabo. r Ps. 54.
[s] Lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem s Ps. 34.
tuam. [t] Laudabo Dominum in vita mea; psallam Deo meo t Ps. 145.
quamdiu fuero [u] laudabit vsque ad mortem anima mea u Eccli. 51.
Dominum. Denique [x] semper laus eius in ore meo, scio x Ps. 32.
enim quia [y] Deo nostro sit iucunda, decoraque laudatio. y Ps. 146.
[z] Labijs ergò exultationis laudabit os meum, cantabo, & z Ps. 61.
psallam in gloria mea. [a] Laudabo eum in sono tubæ, in a Ps. 150.
psalterio & cithara, in tympano & choro, in cordis & or-
gano, in cymbalis bene sonantibus, in cymbalis iubilatio-
nis, in hymnis & canticis [b] laudate serui Dominum, qui b Ps. 134.
statis in domo Domini in atrijs domus Dei nostri. [c] Equi- c Ps. 21.
dem narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Eccle-
siæ laudabo te. [d] Confitebor tibi in Ecclesia magna, in po- d Ps. 34.
pulo graui laudabo te. [e] in concilio iustorum & congre- e Ps. 100.
gatione. [f] Verum à solis ortu vsque ad occasum laudabi- f Ps. 112.
le nomen Domini. [g] Non mortui quidèm laudabunt te g Ps. 113.
Domine, neque omnes qui descendunt in infernum, [h] quia h Ps. 38.
non infernus confitebitur, neque mors laudabit te. [i] Non i Ps. 6.
enim est in morte, qui memor sit tui, in inferno autèm quis
confitebitur tibi? Cæterum [k] beati qui habitant in domo k Ps. 83.
tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. [l] Audiui l Apoc. 19.

enim vocem in cælo dicentem: Laus & gloria & virtus Deo
m *Ps.* 150. noſtro,[m] Sed & vos omnes Angeli eius laudate eũ. Laudate
eum Sol & Luna, omnes ſtellæ & lumen. Laudate eum cæli
cælorum, & aquæ omnes, ignis, grando, nix, glacies, beſtiæ,
pecora, volucres cæli, & piſces maris, omnis ſpiritus lau-
det Dominum, iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus
n *Ps.* 116. laudent nomen Domini. Denique [n] laudate Dominum
o *Deu.* 26. omnes gentes, laudate eum omnes populi. [o] Nonne cun-
ctas gentes creauit Deus in laudem & nomen, & gloriam
p *Ephe.* 1. ſuam? [p] Vere elegit nos ante mundi conſtitutionem, &
prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chri-
q *Dan.* 3. ſtum in laudem gloriæ gratiæ ſuæ. Sed vos præſertim [q] Sa-
cerdotes Dei benedicite Dominum, ſerui Domini hym-
r *Eccls.* 15. num dicite, & ſuperexaltate eum in ſæcula. [r] Sicut enim
ſ *Ps.* 32. non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. [ſ] ità rectos decet
t *Esa.* 62. Dei collaudatio. Propterea enim [t] ſuper muros Hieru-
ſalem conſtituit vos Dominus cuſtodes, vt tota die & no-
u *Apoc.* 4. cte, non taceatis laudantes nomen Domini. [u] Vos enim
eſtis, de quibus Ioannes dicit, quia vidit animalia quæ-
dam in cælo intus plena oculis, quæ requiem non habe-
bant die ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus
x *Luc.* 24. Dominus Deus omnipotens. [x] Sic enim aliquandò & di-
ſcipuli regreſſi in Hieruſalem cum gaudio magno, erant
ſemper in templo laudantes, & benedicentes Dominum,
horis videlicet, ac temporibus conſtitutis, de quibus
paulò poſt dicendum per ſingula.



De ſeptem horis Canonis, quas Eccleſiaſticus quotidiè perſoluere tenetur. Rapſodia XXXIII.

[a] RATIONABILE vtique obſequium noſtrum, quod per ſeptem horarum penſum Deo quotidiè ab Eccleſiaſticis exhibendum, Sanctorum Patrum decreto eſt conſtitutum, in ſeptenario enim numero latent diuina myſteria. [b] Vndè & ſanctus Patriarcha Iacob adorauit pronus in terra ſepties, & tota huius mundi moles ſeptem diebus terminatur, [c] & qui mundandus erat ſepties iubetur aſpergi ſanguine victimæ, & ipſe Redemptor noſter multiplici ſanguinis effuſione noſtrorum lauit, ſanauitque lepram criminum, & ſeptem in cruce protulit verba. Septies quoque in die, & nos laudem dicimus Deo [d] ſuper iudicia iuſtitiæ eius, & iure quidèm, nam ſicut, [e] ſepties in die cadit iuſtus, ſepties quoque in die dignum & iuſtum eſt, vt per mentis eleuationem exurgat in Deum, Sed dicet aliquis. [f] Nonnè duodecim ſunt horæ diei, [g] nōnè quatuor ſunt noctis vigiliæ? [h] Quare ergò media nocte, nec poſt, vel ante ſurgimus ad confitendum Deo ſuper iudicia iuſtificationis eius, [i] & in matutinis laudibus meditari iubemur in eo, cur hora prima & non ſecunda? cur tertia, & non quarta, vel quinta? cur ſexta & nō ſeptima vel octaua? Quare nona & non decima? Cur denique hora veſperarum & Completorij conſtitutum eſt à ſanctis Patribus, vt ab Eccleſiaſticis laudes Deo perſoluantur. [K] Benedicam, inquit Dauid, Dominum in omni tempore. Quid ergò plus vtilitatis, aut myſterij eſt, vt certis his horis quas ſupra enumerauimus, Deus potiſsimum laudetur à nobis? Multum per omnem modum, & primum quidem quantum ad Matutinas.

a *Rom.* 12.
b *Gen.* 33.
c *Luc.* 14.
d *Pſ.* 118.
e *Prou.* 24.
f *Ioh.* 11.
g *Luc.* 11.
h *Pſ.* 118.
i *Pſ.* 62.
K *Pſ.* 33.

l *Eccli.* 39. Meritò [l] iustus cor suum tradidit ad vigilandum dilucu-
m *Sap.* 18. lo ad Dominum qui fecit illum [m] Dum enim medium silen
tium tenēt omnia, & nox in suo cursu medium iter habet,
n *Esa.* 26. animæ in Deum facilius excitatur affectus, iuxtà quod
quidam dicit: [n] Anima mea desiderauit te in nocte, sed
o *Sap.* 18. & spiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te,
p *Ose.* 2. [o] tunc omnipotens sermo tuus Domine à regalibus sedi-
bus venit, [p] ducis eam in solitudinem, & loqueris ad cor
q *Iob.* 4. eius. [q] In horrore enim visionis nocturnæ, quando solet so-
r *Iob.* 33. por occupare homines per somnium [r] in visione noctur-
na, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in le-
ctulo, tunc aperit aures virorum custodientium vigilias
noctis in oratione, & erudiens eos instruit disciplina, vt
auertat hominem ab his, quæ fecit & liberet eum de super-
bia eruens animam eius à corruptione, & vitam illius vt
non transeat in gladium, si fuerit pro eo Angelus loquens
vnus de millibus, placabilis erit ei Dominus, & videbit fa-
ciem eius in iubilo. Prætereà sicut qui male agunt obser-
s 2. *Thes.* 5. uant tenebras, [s] nam qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt,
t *Ps.* 6. [t] ità & iusti lauant per singulas noctes lectum suum, la-
chrymis suis stratum suum rigant, non solum pro suis,
u *Iob.* 1. sed & pro alienis delictis [u] sic Sanctus Iob, filijs suis & fi-
liabus suis vescentibus & bibentibus consurgens diluculo
offerebat holocausta per singulos ne fortè peccauerint fi-
x *Ps.* 120. lij eius, & benedixerint Deo in cordibus suis. [x] Et quidem
quandò non dormitant neq; dormiunt, qui impugnant
Israel, scilicet Dæmones, cur dormitent vel dormiant, qui
y *Esa.* 62. [y] super muros Hierusalem constituti sunt, vt custodiant
Israel, nimirum Ecclesiastici? Dum enim noctu feruet il-
læcebra carnis, dùm coquitur cibus, digeritur vinum sto-
machus æger, mens somnolenta animus est occupatus,
z 1. *Pet.* 3. Dæmones qui tunc [z] circumeunt quærentes quem deuo-
a *Ps.* 103. rent, prout dictum est in Psalmo. [a] Posuisti tenebras &
facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ, ca-

tuli

tuli leonum rugientes, vt quærant à Deo escam sibi, facile [b] lumbos nostros illusionibus implent, & pertrahunt ad peccatum. [c] Verùm dominabuntur eorum iusti in matutino, quia [d] vigilia honestatis tabefaciet carnes, & cogitatus illius aufert somnium, eo quoque tempore orantibus nobis illuminat Deus tenebras, [e] nè obdormiamus in morte. Scriptum est enim, quia laudantibus nobis Deum in nocte [f] nox sicut dies illuminabitur, [g] Dum pastores custodiunt vigilias noctis super gregem cogitationum suarum, claritas Dei circumfulget illos, audiunt Angelos psallentes, annunciatur illis gaudium magnum, & ostenditur illis verbum Dei. Hora quoq; Matutinarum laudum insignis est propter singularia opera, quæ tunc cùm in Veteri, tùm in nouo testamento leguntur à Deo facta. [h] Media enim nocte ingressus est Angelus Domini in Aegyptum, & percussit omne primogenitum in terra Aegypti ab homine vsque ad pecus. [i] Adueniente vigilia matutina respiciens Dominus super castra Aegyptiorum per columnam ignis, & nubis interfecit exercitum eorum, & subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum, illa hora creditur Christus natus esse, cum scilicet [k] medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet. Hæc hora erat, de qua Christus prædixerat, [l] nondum venit hora mea, qua scilicet ad eum, [m] venit Iudas, & cum illo cohors militum cum gladijs & fustibus, vt compræhenderent eum. [n] Dum adhuc tenebræ essent Christus creditur surrexisse, [o] sæpè quoque erat pernoctans in oratione Dei. Hac quoque hora Angeli præsertim Deum laudant, de quibus dictum est. [p] Vbi eras cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. [q] In matutino, inquit Dauid, interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem, [r] & Iacob tota nocte luctatur cum Angelo, nec dimittit eum quousque aurora sit. [s] Sanctus

b *Ps.* 37.
c *Ps.* 48.
d *Eccli.* 31.
e *Ps.* 12.
f *Ps.* 137.
g *Luc.* 2.
h *Exod.* 12.
i *Exod.* 14.
k *Sap.* 18.
l *Ioh.* 2.
m *Luc.* 6.
n *Ioh.* 20.
o *Luc.* 6.
p *Iob* 38.
q *Ps.* 100.
r *Gen.* 32.
s *Tren.* 1.

quoque Ieremias de Hierusalem ait plorans plorabat in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius: exemplo Dauidis ipsius, qui etsi regni negotijs implicatus [t] meditabatur nocte cum corde suo, & exercitabatur & scopebat spiritum suum. [u] Esdras etiàm & Prophetæ, quater in nocte, & quater in die Deum laudabant. [x] Media etiàm nocte Paulus, & Silas orantes laudabant Dominum carcerali custodia deuincti, & audiebant eos, qui in custodia erant Deniq; iudicium credibile est futurũ media nocte, quia scriptũ est. [y] Media autèm nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obuiam ei, Qua propter non sit vobis vanum mane surgere antè lucem. [z] Si vocem eius excitantis à somno ad laudes eius matutinas audieritis, nolite obdurare corda vestra, cùm enim datur signum ad matutinas. [a] Vox est dilecti nostri pulsantis; Aperi mihi soror mea sponsa, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium, eius enim vox inuitantis nos ad matutinas vigilias est illa, [b] surge, & inuoca Deum tuum. [c] Consurge lauda in nocte, [d] Consurge, consurge, induere fortitudine tua Sion, [e] Surge, Surge Delbora surge, surge, & loquere canticum. [f] Adolescens tibi dico surge. [g] Surgite orate, vt non intretis in tentationem. [h] Vsquequo piger dormis, quandò consurgens è somno? [i] Vigilate, & orate, quia nescitis qua hora Dominus veniet. [K] Si non vigilaueris veniam ad te quasi fur in nocte. [l] Surge illuminare Ierusalem [m] Hora surgendi non te trices. [n] Si diluculo consurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus, statim euigilabit ad te. [o] In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum. [p] Vocabis ergo me Domine, & ego respondebo tibi. [q] Paratum cor meum Deus paratum, vt à somno surgam & laudem dicam tibi, [r] exurge psalterium & cithara, exurgam diluculo [s] si dormiero dicam quandò surgam? scilicet ad laudandũ Deum, & cum euigilauero dicam. [t] Ego dormiui & soporatus

sum

t *Ps.* 48.
u *Neem.* 16.
x *Act.* 16.
y *Matth.* 25
z *Ps.* 94.
a *Cantic.* 5.
b *Ionæ* 1.
c *Tren.* 2.
d *Esa.* 52.
e *Iud.* 5.
f *Lucæ.* 7.
g *Luc.* 22.
h *Prou.* 8.
i *Mar.* 13.
k *Apoc.* 3.
l *Esa.* 60.
m *Eccli.* 32.
n *Iob* 8.
o *Ps.* 133.
p *Iob.* 14.
q *Ps.* 107.
r *Ps.* 5.
s *Iob.* 7.
t *Ps.* 3.

ſum [u] hora eſt iam non de ſomno ſurgere, & laudes Deo u *Rom.* 13.
decantare.

De hora vero *Primarum* nulli dubium quin ſit innu-
meris conſecrata myſterijs, & deuotis omnibus apta exer-
citijs, ſi quidèm hac hora [x] ros iacuit per circuitum x *Exod.* 16.
caſtrorum Iſrael quandò pluit illis Dominus manna ad
manducandum, item hac hora [y] Ieſus diluculo venie- y *Ioh.* 8.
bat in templum, & omnis populus veniebat ad eum, & ſe-
dens docebat eos, [a] & omnis populus manicabat ad eum a *Luc.* 21.
in templo audire eum, [b] item mane facto, conſilium b *Matt.* 27.
fecerunt omnes Principes Sacerdotum & ſeniores po-
puli aduerſus Ieſum, vt eum morti traderent, & vinctum
adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præſidi. [c] c *Ioh.* 20.
Prætereà Maria Magdalena venit mane, cum adhuc te-
nebræ eſſent ad monumentum, & cæteris recedentibus
cum illa ſtaret ad monumentum foris plorans, meruit
Ieſum videre. inſuper [d] Valdè mane venerunt tres Ma- d *Mar.* 16.
riæ ad monumentum orto iam Sole, & meruerunt vi-
dere Angelos, qui eis denuntiarunt Chriſtum à mortuis
ſurrexiſſe. [e] Iterum hac hora mane iam facto ſtetit Ieſus in e *Ioh.* 21.
littore, & apparuit diſcipulis piſcantibus ex naui. In hac
igitur hora, quæ eſt principium diei [f] oportet præuenire f *Sap.* 16.
Solem ad benedictionem tuam, & ad ortum ſolis adorare
Dominum, vnde iuberis [g] primitias frugum tuarum, hoc g *Exod.* 24.
eſt cogitationum & operationum tuarum mane in domum
Domini inferre, & [h] mane offerre victimas tuas, ſicuti fa- h *Amos* 1.
ciebat Dauid, qui & de ſe ait: [i] præuenerunt oculi mei ad i *Pſ.* 118.
te diluculo, vt meditarer eloquia. [K] Mane quoque aſtabo K *Pſ.* 5.
tibi ſciens, [l] quia adiuuabis eum manè diluculo, [m] qui prę- l *Pſ.* 45.
uenit in maturitate & clamauit, & ideò mane oratio mea m *Pſ.* 108.
præueniet te, quia mane exaudies me, [n] vnde & repleti n *Pſ.* 88.
ſumus mane miſericordia tua. [o] Mane erigis mihi aurem, o *Eſa.* 50.
erigis mane vt audiam quid mihi ſit faciendum tota die.
Denique hac hora quærite [p] primùm regnum Dei & iuſti- p *Math.* 5.

q *Prou.*8. tiam eius, quærite, & inuenietis, quia ipse dixit: [q] Qui mane vigilauerint ad me, inuenient me, Beatus qui vigilat ad fores meos quotidie. r *Esa.* 5. [r] Sicut igitur filij tenebrarum consurgunt mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsq; vesperam, sic filij lucis manè consurgere debent ad laudes Dei persoluendas, & ad laudandum Deum vsque ad Vesperam. ſ *Ps.* 103. Statim enim [ſ] ac ortus est sol exibit homo ad opus suum, & ad orationem, & operationem suam vsque ad Vesperas.

Tertia quoque hora, habet in se sua mysteria. Cum enim esset hora [t] diei tertia, discipuli repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis. t *Act.* 2. Dicit quoque Marcus, quia [u] erat hora tertia, & crucifixerunt eum, u *Mar.* 15. ea quippè hora petierunt Iudæi à Pilato, vt crucifigeretur, qua hora etiã dicitur ab aliquibus peccasse prothoparentẽ.

Hora etiàm *Sexta*, magnis est à Christo factis insignita. [x] Hora erat quasi Sexta, quandò sitiens Dominus noster x *Ioh.* 4. sedebat sic super puteum fatigatus ex itinere, [y] Hora sexta, y *Matt.*27. tenebræ factę sunt super vniuersam terram vsque in horam nonam, item [z] hora erat quasi sexta, & dicit Pilatus Iudæis, ecce Rex vester. z *Ioh.* 20. Hac hora creditur à nonnullis prothoplastus eiectus fuisse de Paradiso.

De hora denique *Nona* legimus, quia [a] Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. a *Act.* 3. [b] & hora nona clamans Iesus voce magna expirauit. b *Luc.*22. [c] Cẽturio vidit in visu manifestè quasi hora diei nona Angelum Dei introeuntem ad se. c *Act.*10. [d] Sponsa quoque cupit scire à spõso vbi cubet, vbi pascat in meridie, d *Cantic.*1. [e] & illa hora diligenter orandum, vt Deus nos tueatur ab incursu & dæmonio meridiano. e *Psal.* 90.

Vesperarum vero institutionis multæ sunt causæ, tùm ex veteri, tũ ex nouo Testamento. Nam [f] & colũba venit ad vesperam ramum portans oliuæ, f *Gen.*8. [h] & Agnum immolabat multitudo filiorum Israel ad Vesperam, h *Exod.*16. [i] Agnus quoq; i *Exod.* 29.

ad vesperam erat immolandus. [k] Et vesperi, inquit, comedetis carnes, & mane saturabimini panibus. In nouo quoque testamento legimus, [l] quia vespere facto offerebant Domino multos dæmonia habentes, & eijciebat spiritus verbo, & omnes malè habentes curabat, & iterum. [m] Vespere autèm facto, venit cum duodecim, & discubuit cum illis. [n] Et cum sero esset factum Ioseph ab Arimathia introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu, & deponens eum de cruce sindone inuolutum posuit eum in monumento. [o] Sit igitur eleuatio manuum tuarum sacrificiũ vespertinum, quod offeras Domino. [p] Si enim vespertina oratio ascenderit ad te Domine, vtique descendet super nos misericordia tua. Verùm Hora Completorij præ cæteris, multis est insignita priuilegijs, [q] in qua Christus in sepulchro reconditus, in qua sicut est finis diei, ità non nulli autumant probabile fore consummationem sæculi, [r] in qua hymno dicto Christus cum discipulis suis exibat in montem Oliueti. [s] in qua debet se homo ad Deum ex vanis istis, & externis conuertere ad Dominum Deum suum. Vndè & dicimus, conuerte nos Deus salutaris noster, in qua tempus est, vt occupationes sæculi dimittant nos [t] in pace in idipsum dormire & requiescere, in qua debet se quisque præmunire [u] à timore nocturno, in qua debet impleri, quod dictum est per Prophetam dicentem, [x] redite præuaricatores ad cor. Et iterum, Quæ dicitis [y] in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini, hic actis [z] Dormite iam & requiescite, & [a] beatus qui à principio noctis vsque in vesperam sic orando impeleuerit desiderium suum ex ipsis, non enim confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

k *Exod.* 16.
l *Matt.* 8.
m *Marc.* 14.
n *Mar.* 18.
o *Ps.* 140.
p *Ps.* 15.
q *Mar.* 15.
r *Mar.* 14.
s *Ps.* 84.
t *Ps.* 5.
u *Ps.* 90.
x *Esa.* 46.
y *Ps.* 5.
z *Matt.* 26
a *Ps.* 26.



De præparatione qua se disponere debet Ecclesiasticus ad horas Canonicas exsoluendas. Rapsodia XXXIV.

SICVT reus coram Iudice præsentandus præcogitat[a] quomodo aut quid loquatur in illa hora pro sui defensione ad excusandas excusationes in peccatis, de quibus accusatur, vel quomodo eum valeat ad sui misericordiam flectere, sicut mendicans Eleemosynam præmeditatur, qua ratione possit diuitis animum ad pietatem emollire, & sicut qui psalterium & citharam pulsat, prius fides & chordas temperat, ne quid absonum reddat, sic qui coram supremo Iudice, qui [b] terribilis est in consilijs super filios hominum, causam suam agere, & ipsum ad sui miserationem per orationem statuit inclinare, vel deprecari, vt de necessitatibus eius eum dignetur eruere, vel qui laudaturus est Deum [c] in chordis & organo, necesse, vt [d] ante orationem præparet animam suam, ne sit quasi homo tentans Deum, [e] & oratio eius fiat in peccatum. [f] vt ergò præparationem cordis tui audiat auris Dei, prima ad orandum dispositio est, vt benè viuas. [g] Si enim cor nostrum non repræhenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, quia quidquid petierimus ab eo accipiemus, quoniam mandata eius custodimus. [h] Oculi siquidèm Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. [i] Alias nos scimus, quia peccatores vt Deus eos exaudiat non merētur, & ideo sic ait Psaltes, [K] iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus, quin immò [l] qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio eius fiet execrabilis, [m] sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eis facit,

a *Matth.* 10
b *Ps.* 65.
c *Ps.* 150.
d *Eccli.* 18.
e *Ps.* 108.
f *Psal.* 9.
g *Ioh.* 3.
h *Ps.* 33.
i 1. *Ioh.* 9.
k *Ps.* 65.
l *Prou.* 28.
m *Ioh.* 9.

hunc exaudit. Secũda Præparatio est, vt instante hora officij, quales in oratione nos volumus inuenire, tales nos antè tempus orationis præparemus. Cogita igitur Sacerdos, quid paulò post oraturus agere debeas, dicens in corde tuo. [n] In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo super misericordia & veritate tua quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuũ, Deũ enim adorabis laudans eum. [o] Super iudicia iustificationis tuæ, hoc est, super mysteria Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini nostri Iesu Christi, excitans temetipsum ad retribuendum Domino [p] pro omnibus & singulis, quæ retribuit tibi, benedicens Deo in corde tuo, [q] ne obliuiscaris omnes retributiones eius, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuã, qui coronat te in misericordia & miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum. Denique [r] in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones tuæ innotescant apud Deum, pro necessitatibus subleuandis. [s] Considera vultum natiuitatis tuæ in speculo conscientiæ tuæ, & si quæ ei maculæ de terrenis contagijs adhærent, compunctionis lacrhymis prius deleantur, iuxtà quod olim præceperat Dominus Moysi [t] facies labium æneum cum base sua ad lauandum, & missa aqua lauabunt Aaron, & filij eius manus suas, & pedes suos, quandò ingressuri sunt tabernãculum. Vt sic immaculatus coram Dei præsentia assistas, ne de te conqueratur dicens. [u] Populus qui ad iracundiam prouocat me, ante faciem meam semper, [x] nõ puras sed impuras manus leuantes, posteà intra in tabernaculũ cordis tui, ità vt dicere valeas cum regio Propheta. [y] Inuenit seruus tuus cor suũ vt oret. [z] dispersiones ergò Israelis prius congregabis, continens cor tuum in sanctitate. [a] Cum enim quęsieris Dominum Deum tuum inuenies eum, si tamèn in toto cor-

n Ps. 100.
o Ps. 118.
p Ps. 115.
q Ps. 142.
r Philipp. 4.
s Iac. 1.
t Exod. 30.
u Esaie. 30.
x 1. Tim. 2.
y 2. Reg. 7.
z Ps. 149.
a Deut. 10.

de tuo quæsieris eum. Vltima verò dispositio qua mox oraturus te præparare debes est, vt audito signo, te ad orationem aduocante, commoneas temetipsum dicens; Hoc signum magni Regis, eamus, & inquiramus eum, & offeramus ei aurum ignitæ intentionis, thus deuotæ attentionis, myrrham amaræ compunctionis. Deindè occurrens Deo tuo, assume in corde affectum aliquem, quoad orandum accedas, vel filij ad Patrem, vel sponsæ ad sponsum, vel serui ad Dominum, vel pauperis & egeni ad diuitem, & Pastorem, vel debitoris magno ære oppressi ad creditorem, vel infirmi ad medicum, vel Rei ad iudicem, indè poteris mentem tuam Seraphicis quibusdam verbis excitare di-
b *Esa* 2. cens. [b] Venite omnes vires meæ, ascendamus ad mon-
c P*sal*. 46. tem Domini, & ad Domum Dei Iacob. [c] Ecce rex omnis terræ Deus, psallite sapienter. Deinceps Chorum ingre-
d *Iosue*. 5. diens [d] solue primùm calceaméta de pedibus tuis ab omni fluctuantium cogitationum, & imaginum sordibus te expediens, & ponens manum super ostium chori; dicas, curæ, cogitationes, sollicitudines, anxietates, occupationes
e *Gen*. 22. externæ, [e] expectate me hic foras cum Asino isto cum corpore meo donec ego cū puero, hoc est, ratio cū intelligentia illuc properantes offeramus sacrificiū Deo, & postquàm adorauerimus, reuertemur ad vos. Tu autèm ani-
f *Matt*. 25. ma mea [f] intra in gaudium Domini tui, & visita templum
g P*sal*. 41. eius [g] ingredere in locum tabernaculi admirabilis vsq; ad domum Dei. recordare quia & Dominus noster Iesus Christus, oraturus in horto Gethsemani, vt solus cum Patre attentè oraret, ab ipsis quoq; quos summoperè diligebat
h *Luc*. 22. Discipulis [h] auulsus est quantum iactus est lapidis, ne quid omninò orantis menti nisi Deus assisteret, non quod eius mens posset inuita pati externæ distractionis impen-
i *Ioh*. 13. dium, sed [i] vt exemplum daret nobis, vt quemadmodum ipse fecit, ità & nos orando faciamus. Hinc cum accesseris ante altare venerare Sacrosanctum Eucharistiæ Sacra-

mentum reuerenter inclinans, & dicens [k] Deus meus es tu, & exaltabo te, Deus meus es tu, & confitebor tibi &c. inde ad sedem tuam veniens, dirige intentionem tuam in Deum dicens. [l] Dirigatur oratio mea Domine, sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum, vel alias huiusmodi orationes. Vltimo crede firmiter te præsentem esse Deo, te esse in conspectu eius qui super stellato sedet solio, coram tota curia cælesti, & ineffabili beatorum spirituum exercitu, quorum [m] millia millium ministrant ei, & decies centena millia assistunt ei, & hoc cogitans toto corde in te collectus dicas admirans. [n] Loquar ad Dominum meum cum sim puluis & cinis, magno namq; affectu initianda oratio, alioquin paruus error in principio orationis, magnus fit in fine. De præparatione hactenus.

k *Ps.* 117.
l *Psal.* 140.
m *Dan.* 7.
n *Gen.* 18.

De modo exsoluendi Horas Canonicas. Rapsodia XXXV.

[a] SIC psalmum dicam nomini tuo Domine in sæculum sæculi [b] vt ex totis præcordijs orem [c] vt in omni corde & ore collaudem te, & benedicam nomini tuo, [d] sicut Iosaphat timore perterritus totum se contulit ad orandum Dominum, totum enim me conferam, si sensu reuerenter, intellectu attentè, affectu deuotè psallam tibi Deus. Et quidem quoad reuerentiam, quam orantes in nostris debemus sensibus referre [e] habemus gratiam, per quam seruiamus placentes Deo cum metu, & reuerentia, quã vtiquè à nobis psallentibus exigũt. Primo. Angelorum præsentia, nam [f] præuenerunt Principes coniuncti psallẽtibus in medio iuuencularum tympanistriarum, Dei maie-

a *Ps.* 60.
b *Sap.* 8.
c *Eccli* 39.
d 2. *Para.* 20
e *Heb.* 12.
f *Psal.* 67.

g *Apoc.* 21. ſtas chorum inhabitans, de quo ſcriptum eſt: [g] Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Secundo. Sanctorum aſsiſtentia, quorum oſſa, ac reliquiæ

h *Cantic.* 8. ibi ſunt reconditæ, de quibus dicitur [h] quæ habitas in hor

i *Gen.* 38. tis, amici auſcultant te. Tertio. Loci ſanctitas [i] terribilis enim eſt locus ille, nec eſt ibi aliud niſi domus Dei, &

k *Exod.* 3. porta cæli, [k] locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Quarto. Dignitas verborum quæ ibi recitantur, ſacrificiorum, quæ ibi immolantur, actuum qui ibi exercentur. Si igitur

l *Eccli.* 32. vis [l] vt pro reuerentia accedat tibi gratia. Primo. Non niſi ſanctificato poſt purgationem animo diuinis audeas

m *Luc.* 18. intereſſe, ità te humilies coram Deo, [m] Vt nec oculos au-

n *Eccli.* 35. deas ad cælum leuare. Sic enim [n] oratio humiliantis ſe pe

o *Matth.* 6. netrat nubes. Secundo. Tu autem [o] cum oraueris intra in cubiculum tuum & clauſo ſuper te oſtio ſenſuum exte-

p *Pſ.* 16. riorum [p] ſtatue oculos tuos declinare in terram, [q] & auer

q *Pſ.* 118. tere eos nè vagi, & profugi videant hinc indè vanitates, quæ mentem à Deo diuertant. Tertiò. Cum coram Domino ſteteris, hæc Quinquè tenebis

Iunge manus, compone pedes, caput erige rectus,
Sitq; decens habitus, geſtus, motuſq; modeſti.

Quarto Genua curues pro tẽporis opportunitate, præſer

r *Philip.* 2. tim cũ nominatur nomen Ieſu [r] cui flectitur omne genu, cæ

ſ *Act.* 14. leſtium, terreſtrium, & infernorum. Quinto. Surge [ſ] ſta ſuper pedes tuos rectus, ita vt corporis, & mentis exhi-

t 3. *Reg.* 17. beas rectitudinem iuxta verbũ Eliæ [t] viuit enim Dominus, in cuius conſpectu hodie ego ſto. Sexto. Bene [u] cane fre-

u *Eſai.* 23. quenta canticum, exalta Dominum quantum potes ſuper-

x *Heb.* 5. ualebit enim adhuc: hoc modo ſi oraueris, [x] exaudieris vtiq; pro tua reuerentia, ſi tamèn non ſolũ reuerenter ores, verum etiam attentè pſalmis, & hymnis cum oras Deum,

y *Gal.* 6. hoc verſetur in corde, quod profertur in ore, [y] noli errare, Deus non irridetur, verum nunquid non hoc eſt Deum irridere, & irritare, potiùs quam placare, ſi tu eum roges

vt [z] in adiutorium tuum intendat, qui nil minus quam de ipso cogitas? Quomodo tibi intendet, si tu ipse tibi non intendis? [a] Deus spiritus est, & eos qui eum orant vel adorant, in spiritu & veritate orare & adorare oportet, [b] orabo spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente, inquit Paulus, verum quomodo orat, & psallit spiritus is, cuius dum psallit in choro, [c] lustrans oculis, vel cogitatione vniuersa per circuitum pergit spiritus, cuius spiritus dum labia frustra assumunt Dei laudem, [d] ipse circuit terram, & perambulat eam? [e] Vtinam vel tunc cardines cæli perambularet, & sua consideraret. Quam benè de his, qui hoc modo orant prophetauit Isaias dicens: [f] Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. Vt quid perditio hæc, non ne [g] melius est quinq; verba sensu tuo loqui, quam decem millia rotare in lingua tua sine attentione? Vere hoc opus hic labor est, [h] laudis sacrificium ità persoluere [i] vt iota vnum, aut vnus apex non prætereat ab orantis lingua, quem non comitetur mentis affectio; Dum enim oramus, [k] tùm præsertim cogitationes importunæ ascendũt in corda nostra, [l] quæ veluti muscę morientes perdunt suauitatem vnguenti, dulcedinem scilicet internæ deuotionis. [m] Et si quis velut Abraham perfectus coram Deo sacrificiũ orationum offerat, abigere quidèm potest, sed impedire vix potest, ne descendant volucres cogitationum super sacrificium. [n] Nam corpus quod corrumpitur aggrauat animam, [o] ità vt vel ipse Moyses orans manus graues aliquãdò remittere præ lassitudine cogeretur, nisi Aaron, & Hur sustentarent eas ex vtraq; parte. [p] Deprimit quoq; sensum multa cogitantem terrena hæc inhabitatio, in qua varia quæ auditu auris percipiuntur, vel oculus ipse videt, ipsa mentem nostram vel inuitam [q] auolare faciunt, quasi [r] columbam Ephraim non habentem cor [s] inde vox clamantis in deserto. [t] Domine vim patior responde pro me,

cogita-

z Ps. 69.
a Ioh. 4.
b 1. Co. 14.
c Eccli. 1.
d Iob. 22.
e Iob. 22.
f Esa. 24.
g 1. Co. 14.
h Eccli. 35.
i Matth. 5.
k Eccli. 10.
l Luca. 24.
m Gen. 15.
n Sap. 9.
o Exod. 17.
p Psa. 9.
q Cannic. 6.
r Osea 11.
s Luc. 3.
t Esa. 38.

u Psal. 136. cogitationes meæ non sinunt me in pace in idipsum requiescere, in principio igitur orationis [u] allide paruulos tuos ad petram, hoc est suborientes cogitationes opprime, x Ps. 118. initio cuiuslibet psalmi, [x] os tuum aperi, & attrahe spiritum. y Ecclici. 10 [y] Quod si spiritus carnis vel dæmonis malas cogitationes immittentis ascenderit super te, sta super te, locũ orationis tuæ ne dimittas, sed argue constanter sensus tuos z Matth. 9. dicens: [z] Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris corã a Ps. 93. Deo, [a] qui scit cogitationes hominum, quoniam vanæ b Esa. 1. sunt, [b] auferte malum cogitationum vestrarum, [c] aufert c Sap. 1. enim se spiritus à cogitationibus, quę sunt sine intellectu. d Eccli 4. Quis scit [d] si forte confusio ista, qua te ipsum reprehendis e Gen. 32. adducat tibi gloriam? [e] Dominus enim qui videt in abscondito, quam fortiter velut Iacob cum Angelo luctam f Psal. 50. orando sustineas, [f] reddet tibi lætitiam salutaris tui, & g Ecclici. 7. spiritu principali confirmabit te, [g] vt sit melior orationis finis. quàm principium, sicuti Hieronymo aliquotiens contigit, qui cum initio orationis tales sustineret [h] immish Ps. 50. siones per angelos malos, vt sibi videretur interesse chotis i Eph. 6. saltantium puellarum, [i] tota nocte laborãs in colluctatione, quam habebat aduersus carnem, & sanguinem, contra spiritales nequitias vsq; ad orientem Solẽ perseuerans, talẽ posteà animi lætitiam & mentis sentiebat claritatem, vt sibi videretur interesse cælestiũ choris Angelorum. Et qui- K Ps. 199. dem [K] beneplacitum est Domino super laudantes eum, si tamèn non solum reuerenter, & attente, sed & deuotè lau- l Ps. 118. dauerint eum. Neq; enim putes [l] quia voluntaria oris tui bene sibi placita facient Dominus, nisi verba quæ ex ore tuo egrediuntur, illa & de cordis affectione exeant. Quid namq; prodest labiorum strepitus, vbi cor est mutum? m Matth. 6. [m] Non in multiloquio, sed in multo affectu Deus exaudit n Ps. 50. orantes, [n] vtiq; Domine holocaustis non delectaberis, quę sunt sine pinguedine deuotionis, propterea olim volebat, o Leuit. 4. [o] vt adolerẽt sacerdotes adipem super altare holocausti: si

ergò

ergò [p] ſicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea, & labijs ex[illegible]itationis laudabit os meum, [q] tunc intrabit oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo Domine, [r] tunc acceptabis ſacrificium laudis, [ſ] Sacrificium Iuda, & Ieruſalem, ſicut in diebus antiquis [t] quando omnis multitudo filiorum Iſrael offeret mente promptiſsima atquè deuota primitias Deo. [u] Quandò exhibebit vniuerſa multitudo hoſtias & laudes, & holocauſta, mente deuota, [x] alioquin citò extinguitur lampas attentionis, ſi deficiat oleum ſanctæ deuotionis, nec licet [y] multoties excitata per vnam horam vigilare poterit pſallentis mens cum Chriſto. [z] Si dormitet anima eius præ tædio, quod omninò eueniet. [a] Si in craſsitudine affectuum delectetur anima noſtra [b] pſallite ergò Domino, pſallite ſapienter, niſi enim palato animæ ſapiant pſalmi & hymni, cum oratis Deum, [c] etiàm ſi dulcia ſint ſuper mel & fauum eloquia eius, [d] anima veſtra ſatiata nimietate orandi nauſeabit ſuper illis tanquàm ſuper cibo leuiſſimo, [e] ſic ergò deuotè orandum, vt in meditatione noſtra exardeſcat ignis [f] ſed quicunq; in exſoluẽdis horis Canonicis hanc regulam fuerint ſequuti [g] vtiquè &ros diuinæ dulcedinis, & pluuia gratiarum veniet ſuper illos.

p *Pſal.* 62.
q *Pſal.* 62.
r *Pſal.* 50.
ſ *Mala.* 2.
t *Exod.* 35.
u 2. *par.* 29.
x *Matth.* 25
y *Mat.* 14.
z *Pſal.* 118.
a *Eſa.* 55.
b *Pſal.* 46.
c *Pal.* 118.
d *Num.* 21.
e *Pſal.* 38.
f *Pſal.* 6.
g 2. *Reg,* 1.

De altero Eccleſiaſticorũ officio quod eſt animarum regimini præeſſe. Rapſodia XXXVI

SICVT ad illuminationem & conſeruationem orbis terræ [a] in principio creauit Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti, vt eſſent ſupra [b] mundi rectores

a *Gen.* 1.
b *Eph.* 6.

tenebra-

tenebrarum harum, sic ad Rempublicam Christianam gubernandam ac mortales in officio continendos, duas super homines supremas constituit potestates, Ecclesiasticam vnam, alteram sæcularem, seu laicam, illam, vt præsit curæ animarum [c] ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum, vt vitam habeant æternã; istam [d] ad dirigendos homines in viam pacis temporalis, [e] vt quietam, & tranquillam vitam agant, ità tamèn vt istius virtùs & efficacia ab illa pendeat, sicut à Sole, Luna. Ista quidèm præfulget Imperialis Maiestas, nimirum de iure Imperator Rex est Regum temporalium, ac Dominus Dominantium in hoc seculo [g] iuxtà nomen magnorum qui sunt in terra; illa præeminet Romanus Pontifex, quippe solus in terris Christi vices gerit in cælo regnantis. [h] ideoq; ipse est supra omnem Principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, [i] ità vt de illo didicas quod de terrena Tyrannide Diaboli dicitur, non est potestas in terra quæ comparetur ei, sua est potentia, suum regnum, ipse est super omnes gentes, Regnum in manu eius & potestas, & imperiũ, ipse enim Imperatores constituit ac deponit, transfertq; imperium de gente in gentem, & de regno ad populum alterum, sub eo [k] curuantur, qui portãt orbem. Nam [l] ipse est caput super omnem Ecclesiam militantem, [m] ideò adorant eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruiunt ei. Quin immò inimici eius terram lingunt [n] & adorant in loco vbi steterunt pedes eius [o] vnus est, & secundum non habet. Ad ipsum pertinet sollicitudo omnium Ecclesiarum [p] verum sicut antiquitus, ne Moyses solus sedens, & iudicans de mane vsq; ad vesperam stulto labore cõsumeretur ipse & populus eius cum eo, per septuaginta virorum prudentium mentes congrua dispositione Dominus Deus Moysis spiritum propagauit, quibus ille adiutoribus vsus in populo, innumerabiles multitudines facile gubernaret, & sicut in Eleazaro & Ithamar filijs Aaron

c *Luc.* 1.
d *Luc.* 1.
e 1. *Thim.* 2.
g 2. *Reg.* 7.
h *Eph.* 1.
i *Iob.* 41.
k *Iob.* 9.
l *Eph.* 1.
m *Ps.* 71.
n *Ps.* 131.
o *Eccls.* 3.
p *Exod.* 18.

summi Sacerdotis, paternæ plenitudinis abundantiam transfudit, vt ad hostias salutares, & frequentioris officij Sacramentum, ministerium sufficeret Sacerdotum. hac quoq; prouidentia, quia vltra vires vnius hominis est negotium, vniuersum populum Christianum, qui toto est orbe diffusus, singulariter gubernare, nec solus valet tantum onus sustinere: prouidet sibi summus Pontifex de omni plebe, & ex omni natione quæ sub cælo est viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, qui oderint auaritiam, superbiam, immunditiam, illosq; assumit sibi in partem sollicitudinis, constituens ex eis Abbates, Præpositos, Plebanos, Archidiaconos, Episcopos, Primates, Patriarchas, Cardinales, qui præsint regimini animarũ, quos ponit regere Ecclesias, iudicare plebem, & pascere greges populorum, ità tamèn vt quid quid maius contigerit, referant ad ipsum, & ipsi minora tantummodo iudicent, leuiusq; sit partito in alios onere. De quibus quidèm officijs, non est modo dicendum per singula.

Quam arduum ac laboriosum sit regimen animarum. Rapsodia XXXVII.

PORRO' [a] qui non sapit quæ Dei sunt [b] nesciens Dominum & officium sacerdotum ad populum, putat quod præesse regimini animarum [c] sit sedere ad dexteram, vel ad sinistram in regno, in diuitijs, in gloria & pompis huius sæculi, ideò [d] lætatur in his, quæ dicta sunt illi, in domum Domini ibis, stantes erunt pedes tui in atrijs Ierusalem, licebit tibi hoc vel illo Sacerdotio fungi, & habere pingues redditus, honorem, & laudem

a *Matt.* 16.
b 1. *Reg.* 2.
c *Matt.* 19.
d *Ps.* 121.

f Gen. 49. in titulo, & nomine ipsius; itaq; [f] Isachar asinus fortis videns requiem sedentis super cathedram Moysis, quod sit
g Num. 32. bona, [g] & terram Ecclesiæ quod sit optima, ac regionis
h Gen. 13. vberrimæ ad pastum animalium [h] quippe quę irrigatur velut paradisus Dei, honorem Ecclesiasticæ dignitatis, quod sit insignis, nempè pro sua reuerentia honoratur ab omni-
i Gen. 49. bus, ideò non solum animo volenti, & hilari, [i] supponit humerum suum ad portandum onus, vel ipsis Angelicis
k Heb. 5. humeris importabile, sed nec expectat, vt [K] vocetur à Deo, tanquàm Aaron. Quin immo tàm cupidè sumit sibi hono-
l Esa. 6. rem, vt etiàm vltro sese ingerat, dicens [l] Ecce ego, mitte
m Eccli. 7 me. Cumq; scriptum sit [m] Noli quærere ab homine duca-
n Ps. 43. tum, neq; à Rege cathedram honoris, quia [n] Domini est
o Ioh. 5. assumptio nostra, & non Regis: ipse nihilominus si [o] hominem non habet, qui cum turbata fuerit aqua, & vacauerit
p 3. Reg. 2. aliquod beneficium, mittat eum in piscinam, [p] quærit mulierem, cui nihil negari possit, vt loquatur pro se ei qui est in potestate constitutus, & deprecetur petitionèm vnam paruulam, vt scilicet detur ei, non Abisag Sunamitis in vxorem, sed hæc vel illa Ecclesia vacans in sponsam. Ni-
q Matt. 9. hil non tentat tantum [q] vt sedeat ad dexteram spiritualis, vel ad sinistram temporalis honoris in Regno Ecclesiasticæ potestatis. Quod si prece non potest, hoc sibi statuit pretio comparandum, & ideò si aliàs in palatium introire nō valet, certè per ancillam ostiariam conatur intrare, & si Christum debeat abnegare. Et nomen ancillæ Simonia. Verum si nec prece, nec pretio per ostium ingredi potest,
s Ioh. 11. tunc [s] ascendit aliunde in ouile ouium, per vim scilicet ac dolum, tantùm vt furetur, vt mactet, vt perdat, quia nō pertinet ad eum de ouibus, sed de lacte, lana, & carnibus ouium. Hinc contentiones, & scandala, hinc æmulationes, & schismata oriuntur, & maximis sæpè turbatur
t Ioh. 5. Ecclesia dissidijs, dùm [t] quisquè prior contendit, vt de-
u Ioh. 5. scendat in piscinam, sæpè quoq; fit, vt [u] vnus quidem pre-

currat

currat citius altero,& tamèn alter prior descendat in monumentum, dum vno [x] in labore, & sudore vultus sui, ac dura, diuturnaquè seruitute prædam venante, alter superueniens dolo,& astu præripit benedictionem. Indè [y] in vtero huius mysticæ Rebeccæ, non sine ingenti eius dolore colliduntur filij eius ad inuicem, dum vnus, alterius plantā per æmulationem tenet, quo prior egrediatur, ac præripiat primogenita vacantis Ecclesiæ, vel Ecclesiastici beneficij: accidit autèm (peccatis nostris sic exigentibus) vt non raro [z] primus egrediatur Esau, [a] & malus proficiat in peius, præoccupetq; Prælaturam, eò quod ispidus, pilosus, ac pecuniosus sit, quia manus eius plus lanę, plus exhibent pecuniæ, eò quòd [b] de venationibus suis afferat frequenter pulmēta munerum, quibus Iacob libenter vescitur: faxit Deus, vt nullus in Ecclesia Dei inueniatur [c] Simon, Iason aut Menelaus qui summū Sacerdotium, quod ambiebāt, nihil quidèm habentes Sacerdotio dignum, promisso datoq; Regibus ingenti ære sibi coemerunt, vsq; eo, vt Iason fratrem eius Oniam verum Sacerdotem captiuum fecerit, eundemq; Menelaus crudeliter interfecerit, quo nimirum in semetipsos summum sibi Sacerdotium retorquerent. Quid, quod & ipsimet Christi Discipuli, [d] cum adhuc modicum lumen in illis esset, vt intelligerent mysterium regni Dei, [e] existimantes regnum Christi fore de hoc mundo, audientes de duobus, qui rogabāt [f] vt sederēt ad dexteram vnus, &alius ad sinistram in regno Christi; indignati sunt valde, [g] & facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior? Sed [h] & Core, Dathan, & Abiron seditionem mouerunt aduersus Moysen & Aaron, eò quod Sacerdotiū sibi vendicarent, non sustinentes, vt Aaron, & filij eius illud gererent, quos tamèn Dominus ipse præ cæteris elegerat, sibiq; adiunxerat, vt sacerdotio fungerentur. Nihil enim acerbius ei, qui Ecclesiasticos ambit honores, quam [i] videat ęmulum suum in tēplo in vniuersis prosperis Israel.

x Gen. 27.
y Gen. 25.
z Gen. 26.
a 2. Tim. 3.
b Gen. 26.
c 2. Matt. 4.
d Ioh. 11.
e Matt. 26.
f Matth. 20.
g Lucæ. 22.
h Num. 26.
i Reg. 2.

k Psal. 14. Quod si tandem quod concupiuit ipse iam teneat, nihil
l Ps. 150. illo superbius [k] continuò extollit in altum cornu suum, [l]
m Eccls.2. videre est cor eius exaltatum, oculos eius elatos, ambulat in mirabilibus super se, [m] Ecce, inquit, magnus ef-
n Ps. 88. fectus sum. En ego regnabo, ædificabo mihi domos, &
o Eccli. 2. [n] ædificabo in generatione & generationē sedem meam, [o] plantabo vineas, faciam hortos, & pomaria, & extruam mihi piscinas, possidebo seruos & ancillas, multamquè
p Ps. 19. familiam habebo, armenta quoquè & ouium greges, [p] Ego
q Eccls. 2. in curribus, & ego in equis, [q] coaceruabo mihi argentum. & aurum, & substantias Regum. faciam mihi cantores & cantatrices, & delitias filiorum hominum, scyphos, & vrceos aureos & argenteos ad vina fundenda, & omnia
r Prou. 17. quæ desiderant oculi mei non negabo eis. [r] Et ignorat
s Matth.5. stultus quia qui exaltat domum suam, quærit ruinam. [s] Quos enim Diabolus assumpsit, hos procul dubio tollit in altum, vt lapsu grauiore ruant mittentes se deorsum.
t Ps. 72. Sathanę quippè dici potest de illis, [t] eiecisti eos dum alleuarentur. Verum si saperet Ecclesiasticus, ac præuide-
u Sap. 6. ret [u] quàm durum iudicium his, qui præsunt fiet, si eorum iniuria vel vnus perierit ex ijs, qui eorum curæ tra-
x Luc. 16. diti sunt [x] quàm seuere exigetur ratio villicationis suæ, vsq; ad nouissimum quadrantem ab eo, si diffamatus fue-
y Phil.1. rit, quod Ecclesiæ bona dissipauerit. [y] Quàm magno prętio emptæ sunt animæ illæ, quas ipse suscipit sua prudentia gubernandas, eas scilicet, quas Christus acquisiuit san-
z Matth.15 guine suo, prō quibus filius Dei [z] dedit omnia bona sua, & comparauit eas. Quid si vel vnam ex his tua culpa
a Matt. 7. perdas, [a] cum præsertim lata sit via perditionis, ac mul-
b 2. Cor. 4. ti ambulent per eam [b] cum præsertim habeas tàm pre-
c Matt.6. tiosum thesaurum in vasis fictilibus, in loco [c] vbi fures effodiunt, & furantur, & vbi erugo, & tinea demolitur, Vbi si eos seruare (quantum in te est) conatus fue-
d Eph. 6. ris necesse omninò est, [d] sit tibi pro illis perpetua col-

luctatio

luctatio aduersus carnem, & sanguinem, quin immò aduersus principatus; & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritales nequitias in cœlestibus? [e] Nonnè melius erat tibi si ordinatus non fuisses. [f] O quantas oportet te sustinere tribulationes multas, & malas, vt de abyssis terræ iterùm reducas animas tuæ fidei comissas, [g] Si tamèn in omnibus velis exhibere te sicut Dei ministrum, & cooperatorem salutis animarum. Porrò ars artium, regimen animarum, nequè officium istud ritè peragi potest [h] nisi in labore, & ærumna, in vigilijs multis; in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in spiritu sancto, in charitate non ficta, in virtute Dei per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris; per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam; præter illa quæ extrinsecus sunt instantia quotidiana, sollicitudo omnium animarum. Infirmari quoquè cum infirmantibus, dolere cum patientibus, [i] monere vnumquemquè [K] patrem esse pauperum, oculum esse cæco, pedem claudo, iudicem viduarum, adiutorem orphanorum. Deniquè [l] sollicitum esse pro omnibus, & turbari erga plurima [m] fatigari aliquandò ex itinere, ex animi ægritudine, & corporis molestia, [n] diligenter quærere fratres suos, videre sæpè si cuncta prospera sint [o] esse à Deo præpositum omnibus, gubernare creditam sibi Ecclesiam, & vniuersa quæ tradita sunt illi, nec tamèn quidquam aliud nosse, nisi panem quo vescaris, & quibus tegaris [p] cætera fideliter ac prudenter dispergere, & dare pauperibus, [q] Quęrere in omnibus quæ Iesu Christi, non quæ tua sunt, hoc opus, & onus eorum, qui rectè præsunt, vt prosint. [r] Non enim qui secundum rectam rationem Episcopatum desiderat, bonas opes, sed bonum opus desiderat, & bonum quidèm opus Episcopatus sed molestum, sed laboriosum, sed periculosum opus; & ideò [s] qui Episco-

e *Matt.* 25.
f *Ps.* 70.
g 2. *Cor.* 6.
h 2. *Cor.* 11
i *Act.* 20.
k *Iob.* 29.
l *Luc.* 10.
m *Ioh.* 4.
n *Gen.* 37.
o *Genes.* 39.
p *Ps.* 111.
q *Philip.* 2.
r *Thim.* 3.
s *Matth.* 20.

patum petit, vt sedeat ad dexteram vel ad sinistram in regno & diuitijs sæculi. Verè nescit quid petat. Sapiens verò ad præsulatum, quasi ad cruciatum inuitus trahitur. [t] Et Moyses quidem à Deo legatus ad Pharaonem Regem Aegypti destinatus, duxquè super vniuersum populum ab ipsomet Deo constitutus, toties, tamquè pertinaciter honorem, ac onus sibi exhibitum recusauit, vt sua pertinacia Dominum quasi ad indignationem prouocauerit, modo suæ vilitatem personæ, modo Hebræorum incredulitatem, modo suæ tarditatem linguæ causatus, [u] sed & Iosuè cum Moyses moriturus, eum sibi in Ducem populi sufficere vellet, non nisi cum magno timore, & tremore vltrò delatum sibi Regiminis onus suscepit, ac non nisi prius à Moyse sæpè confortatus assensit. Viriliter, inquit illi Moyses, age, confortare, noli timere, ne paueas. Dominus Deus ipse erit ductor tuus, confortare, & esto robustus, tu enim introduces populum istum in terram, quam daturum se patribus eorum iurauit Dominus; [x] Saul etiàm quum nihil minus cogitantem Samuel, in Regem Israel, Dei mandato, constituere, ac iuxtà morem Regum vngere vellet, constanter non minus ac humiliter de se sentiens renuit dicens: Nunquid non filius Iemini ego sum de minima tribu Israel, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Beniamin, quare ergò loquutus es mihi sermonem istum? Quæsierunt ergò illum, & non est inuentus. Dominus autèm manifestauit eum dicens, ecce absconditus est domi, & tulerunt eum indè inuitum trahentes ad regnum. [y] Deniq; filius Dei, qui tamèn natus est rex Iudæorum, cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus. [z] Et olim quidem, sicut dicit Isaias Propheta, appræhendebat vir fratrem suum domesticum patris sui, & dicebat, vestimentum tibi est, Princeps esto noster, ruina autèm

t *Deut.* 31.

u *Deut.* 31.

x 1. *Reg.* 9.

y *Iob.* 6.

z *Esa.* 3.

hæc sub manu tua, & ipse respondens dicebat, non sum medicus, in domo mea non est panis, neque vestimentum, nolite me constituere Principem populi. Iam verò si cui offeratur dignitas, atque ad regimen vocetur animarum. non est qui se abscondat, ab honore eius, vix suam quis causatur imbecillitatem, nemo renuit, nemo dicit; Domine non sum dignus, sed vnusquisque audacter dicit. [a] Ecce ego mitte me, nempè, quia non onus, sed honos in dignitate pensatur, nimirum, si iocari liceat, in labore requies, in æstu temperies, in cura cum iniuria animarum, lucrum quæritur diuitiarum. Et quidèm fabulæ speciem habet, sed mysterium veritatis continet, quod scriptum est, [b] quia cum ligna iussissent, vt oliuam vngerent regem super se dicentes: Impera nobis; restitit omninò nolens suam deserere pinguedinem, vt inter ligna promoueretur; ficus similiter sua non consensit carere dulcedine, vt regnũ acciperet, sed nec vitis liquoris sui pretiositatem, regnis, & sedibus præposuit, vt super omnia ligna constitueretur. Solus rhamnus, qui nullum omninò fructum facit, qui ad nihilum valet vltra, nisi vt comburatur, non solum oblatum sibi super cæteras arbores suscepit imperium; Quin illud ac si sibi de iure sui deberetur tàm arroganti ambitione præsumpsit, vt si quo minus nollent eum regnare super illas, ignem comminatus dicere ausus fuerit. Si vere me regem vobis constitutis, venite & sub vmbra mea requiescite: si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani. Simili quoq; modo optimi quiq; qui sunt velut arbores fructuosæ, etiàm oblatas vltrò respuunt dignitates, ne vel si totum mundum lucrentur, animas suas perdant, ac detrimentum sui faciant, vel suæ solitudinis dulcem quietem deserant, superbus verò quispiam, & si velut rhamnus præter vanitatis vmbram ac vitiorum spinas nihil exhibeat, non charitate regente, sed stimulante cupiditate oblatis sese vltrò ingerit prælaturis,

a *Esa. 6.*

b *Iud. 9.*

qui si, vt potè indignus reijciatur, talem contentionis, & æmulationis ignem excitat, vt si fieri posset, omnes, quot-
c *Eccli.* 37. quot suis obsistunt conatibus, absumeret. [c] O præsumptio nequissima vndè creata es cooperire terram malitia,
d *Iob.* 26. temeritate, & ambitione? [d] Gigantes gemunt sub aquis, de quibus dicitur Aquæ multæ, populi multi, & tu qui vi-
e *Iob.* 9. ribus omninò imbecillis & exilis es, lætaris sub onere, [e] sub quo curuantur, qui alias portant orbem. An ignoras quia
f *Gen.* 4. scriptum est, [f] sub te erit appetitus tuus & tu dominaberis illius? Quare humanæ gloriæ appetitus dominatur tui,
g *Iob.* 21. [g] & ducit te quo tu non vis? Quomodo igitur dominaberis ac diriges hominum cupiditates, quorum te tàm fidenter rectorem ac ducem exhibes, qui tuarum seruus es cupi-
h *Eccls.* 3. ditatum? [h] Qui sibi nequam est, cui bonus erit? [i] Qui do-
i 1. *Thim.* 3. mui suæ præesse nescit, quomódo Ecclesiæ Dei præesse po-
K *Num.* 16. teris? [K] Nimis erigimini filij Leui nimis ergimini, [l] supra
l *Exod.* 18. vires est negotium, nisi vos elegerit Deus, [m] qui solus po-
m 2. *Cor.* 3. test nos idoneos ministros mysteriorum suorum facere, ac pastores animarum, quas proprio sanguine suo redemit.

Qualis debèt esse is, cui credenda sit animarum cura, & primo ex eo quod Angelus Domini nominatur? Rapsodia XXXVIII.

EX multifariam multisq; modis quibus in sacris litteris Sacerdotis, Pastorisque officium describitur, conijcere facile est, & quam laboriosum sit regimen animarum, & quibus viribus præstare oporteat eum, cui sit huiuscemodi onus imponendum. Et primo quidèm quod is Angelus Domini nominetur, & sit, nemo dubitare

potest,

poteſt, qui vel Apocalypſim legerit,[a] in qua ſeptē Aſię Epiſcopi, Angeli vbiq; vocātur; Ioannes enim varia ſcribere iubetur Angelo Epheſi, Angelo Thyatiræ, Angelo Sardis, Angelo Philadelphiæ, Angelo Laodiceæ &c. hoc eſt Epiſcopis harum Ciuitatum. Hi ſunt [b] Angeli quibus mandauit de te, ò Eccleſia Dei, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis, hi portabunt te in manibus ſuis, nè fortè offendas ad lapidem peccati, & ad petram ſcandali pedes tuos. [c] Nam rector populi quaſi nutritius Ephraim portabit eū in brachijs ſuis, non ſolum, autèm, ſed & in humeris ſuis, vt eius imitentur ſolertiam, de quo ſcriptum eſt: [d] Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, aſſumpſit eos, atquè portauit in humeris ſuis. Ecquid putas te Principem, eo quod Eccleſiaſtica dignitate præcellas? vtique Prælatus Princeps eſt, ſed [e] principatus eius ſuper humerum eius. Vndè & Moyſes ſub onere principatus ſui gemens queritur cum Domino: [f] Cur, inquit, afflixiſti ſeruū tuum? Quare non inuenio gratiam coram te, & cur impoſuiſti pondus vniuerſi populi huius ſuper me? Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel ego genui eā, vt dicas mihi: Porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum, & defer in terram pro qua iuraui Patribus eorū. Iuxtà quod & alibi dicit Dominus populo ſuo. [g] Angelus meus vobiſcū eſt, ipſe autèm exquirā animas veſtras de manibus eius, [h] ſi videlicet non cuſtodierit eas vt pupillā oculi ſui, & nō portauerit eas in humeris, in vlnis, & in ſinu ſuo, vt eas nimirum, quantum in ſe eſt, ſtudeat purgare, illuminare, perficere. hæc ſunt, enim quæ in ijs, qui ſibi inferiores ſunt, ſuperior Angelus operatur, & quæ quilibet ſubditus à ſuo Prælato videtur expetere, quaſi dicat. [i] Bonitatem, ſcilicet, qua mè purges, Diſciplinam qua me perficias, & ſcientiam qua me illumines, doce me. Sit igitur Prælatus talis, [k] vt intueantur illum ſubditi, tanquàm vultum Angeli ſtantis inter illos, adeò vt quidquid

a *Apoc.* 1.
b *Pſ.* 90.
c *Oſeæ.* 15.
d *Deut.* 32.
e *Eſa.* 9.
f *Num.* 9.
g *Baruch.* 6
h *Pſ.* 16.
i *Pſ.* 118.
k *Act.* 6.

l 1. Thesal. 2 eis dixerit, accipiant illud [l] non vt verbum hominum, sed
m Gal. 18: sicut verbum Angeli, [m] de cælo Euangelizantis se autem
ab omni carnis & sanguinis labe vel affectione ità alienum
n 2. Reg. 14. exhibeat, vt de eo dici iure valeat, [n] sicut Angelus Domini, sic est Dominus meus, vt nec benedictione, nec maledictione moueatur. Qua propter, ij ad quos Prælati pertinet electio, rogare, & implorare Dei bonitatem debent, vt
o 2. Mac. 11 olim [o] Iudas Machabæus, & qui cum eo erant de quibus scriptum est, quia cum fletu & lachrymis rogabant Dominum, & omnis turba simul, vt bonum Angelum mitteret ad salutem Israel; quamuis enim omnes Prælati sint administratorij spiritus in ministeriū missi & electi propter eos, qui illorum curæ traditi sunt. aliquando tamē contingit, vt
p Prou. 17. propter peccata populi [p] Angelus crudelis, hoc est indiscretus Prælatus mittatur in perditionem contra eum, si-
q Luc. 22. cut bonus mittitur in salutem pro eo. [q] Est enim Angelus Domini confortans eos, subditos nimirum, verbo salutis ac
r Ps. 34. doctrinæ spiritualis pabulo, [r] & est Angelus Domini coarctans eos seueritate legum, & persequens eos animi feritate. Videat qui præest, qualis Angelus ipse sit.

Qualem dignitatem dedit Deus ijs, qui præsunt, vt Apostoli, ac dispensatores mysteriorum Dei nominētur, & sint. Rapsodia XXXIX.

a Lucæ 6. SVNT enim Prælati eorum in Ecclesiarum Regimine Successores, de quibus scribitur, [a] quia elegit Dominus duodecim, vt essent Principes super omnem terram, quos & Apostolos nominauit. Nam & Apostolorum minimus, ad Hebræos scribens, eundem Aposto-

lum dicit, quem & Pontificem. [b] Considerate, inquit, Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Iesum. Neq; immerito Prælatos nominaueris Apostolos: Nam Apostolus interpretatur missus, Missi sunt enim Prælati, Angeli à Deo, alioquin quo iure præerunt, qua [c] præsumptione sument sibi honorem quomodo [d] prædicabant nisi mittantur, nisi vocentur à Deo tanquam Aaron, tanquam Moyses, tanquam Isaias, tanquam Apostoli, tanquam ipse Filius Dei; fuit [e] enim Moyses homo missus à Deo, fuit & Aaron, de quibus legimus, [f] Misit Dominus Moysen seruum suum Aaron quem elegit ipsum. Fuit Isaias quoque missus à Deo, qui de se testimonium perhibet dicens, [g] Dominus Deus misit me, & spiritus eius dixit mihi. Vade & dices populo huic Audite, &c. Fuit etiam Hieremias missus à Deo, cui dictum est à Domino. [h] Ad omnia, quæ mittam te ibis, & quæcunque mandauero tibi loqueris ad eos. [i] Ezechiel fuit homo missus à Deo, quando scilicet locutus est Dominus ad eum dicens. Fili hominis vade ad domum Israel, & loqueris verba mea ad eos, non enim ad Populum profundi Sermonis tu mitteris ad domum Israel. Apostoli missi sunt à Deo: ad illos quippe dictum est.. [k] Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni Creaturæ. Filius ipse Dei, Iesus Christus, se à Deo missum esse fatetur, qui de se ait. [l] Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem; de quo etiam Pater ipse prædixerat. [m] Verbum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misit illud. Denique [n] quotquot intrauerunt per ostium in ouile ouium, à Deo missi fuerunt, vel ab his qui Dei vices in terris gerunt. Quotquot vero non missi aliunde ascendunt, illi fures sunt & latrones, non Prælati neque Pastores; de quibus iure conqueritur Dominus dicens. [o] Non mittebam illos, & illi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant, falso vaticinantur in

b *Heb.* 3.
c *Heb.*
d *Rom.* 10.
e *Ioh.* 1.
f *Ps.* 104.
g *Esa.* 48.
h *Hier.* 1.
i *Ezech.* 2.
k *Matt.* 16.
l *Ioh.* 6.
m *Esa.* 55.
n *Ioh.* 20.
o *Hier.* 23.

nomine

nomine meo. Non misi eos neque præcepi eis, neque locutus sum ad eos. Consideret igitur, quisquis alijs præest, à quo missus fuerit; & cognoscet de Prælatura sua, vtrum Diaboli sit vel Domini. [p] Assumptio eius. Nam aliquos [q] assumit Christus & ducit illos in montē excelsum seorsum, quosdā autē [r] assumit Diabolus, & statuit eos supra pinnaculum templi. Tales etiam vult Apostolus esse Prælatos [s] vt eos existimet homo ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Nam illis credita est dispensatio Sacramentorū, donatio Indulgentiarū, prouidentia legum humanarum, bonorum Ecclesiasticorum, distributiopeccatorumque remissio. Sed iam quæritur inter dispēsatores, vt fidelis quis inueniatur. Alioquin, Nunquid fidelem dispensatorem dixeris eum, qui [t] ponit Margaritas ante porcos, & sanctum dat canibus, qui sacra Dei mysteria communicat indignis? [u] Qui effundit indiscretè sermonē, vbi nō est auditus? [x] Qui totam substantiam, non suam, sed Ecclesiæ, [y] non dispergit aut dedit Pauperibus, sed dissipat viuendo luxuriosè. [z] Epulando quotidie splendidè, qui induitur purpura & bysso, [a] qui ingreditur pompaticè domum Dei in curribus, & in equis, & innumerabiles quadrigæ eius. Nunquid bonus aut fidelis dispensator est, [b] qui non est contentus portione substantiæ Ecclesiasticæ, quæ se contingit, sed coaceruat sibi plura beneficia, & non est finis acquisitionis eius, vndè fit vt [c] multis esurientibus, ipse solus ebrius sit. [d] Nunquid solus habitabit in Ecclesia Dei, [e] Nec tamen fidelis dispensatoris est sumere panem filiorum, & mittere canibus, consanguineis, scurris, morionibus, meretricibus. Dissipator est etiam non dispensator, qui sine causa [f] tēpus faciendi legem Dei, dissipat potius quam dispensat. [h] Quis putas ergo est fidelis dispensator & prudens quem constituit Dominus super familiam suam? Is nimirum, qui dat vnicuique quod suum est, [i] & non accipit personam hominum, sed merita considerat personarum,

p *Ps.* 88.
q *Matt.* 17.
r *Matth.* 4.
s 1. *Co.* 4.
t *Matth.* 7.
u *Eccli.* 32.
x *Lucæ* 2.
y *Psal.* 3.
z *Luc.* 16.
a *Amos* 6.
b *Luc.* 16.
c 1. *Cor.* 2.
d *Soph.* 7.
e *Matth.* 7.
f *Ps.* 118.
h *Luc* 7.
i *Luc.* 12.

qui [k] dat vnicuique in tempore tritici mensuram, secundum quod & ipse accepit, sicut scriptum est. [l] Quomodo potueris, ità esto misericors, si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartire. [m] Si triticum dare non potes, retribuet gratiam, qui offert similaginem, [n] Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta erit, nō secundum id, quod non habet. Non enim vt alijs sit remissio, Dispensatori autem tribulatio; sed ex æqualitate in præsenti tempore, eius abundantia suppleat inopiam pauperum. Sicut scriptum est. [o] Qui multum habuit non abundauit, & qui modicum, non minorauit. Is ergo fidelis dispensator est, qui creditam sibi Ecclesiasticæ domus substantiam tam prudenter, ac parcè dispensat [p] vt colligat pro pauperibus, vel ipsa fragmenta, ne pereant, [q] & vel de micis ipsis, quę cadunt de mensa sua, non catulos, sed pauperculos pascit. suosque familiares facit tam ordinatè discumbere, vt etiam de modicis prouentibus, multos satiare valeat esurientes. Tales ergo quærit Ecclesia [r] dispensatores multiformis gratiæ Dei, quales & Ioseph consuluit Pharaonis rei frumentariæ. Prouideat, inquit, Rex virum sapientem & industrium, quem præficiat vniuersæ terræ Aegypti. [s] Prouideat Dominus tales Prælatos Ecclesiæ suæ Sanctæ, qui & meminerint se reddituros rationem Villicationis suæ vsque ad nouissimum quadrantem.

k *Luc.* 12.
l *Tob.* 4.
m *Eccli.* 35.
n 2.*Cor.*8.
o 2.*Cor.* 8.
p *Matth.*8.
q *Matt.* 16.
r 2.*Pet.* 4.
s *Gen.* 41.



De excellentia Muneris Pastoralis ex eo quod Prælati vocantur Magistri, Episcopi, & Euangelistæ. Rapsodia XL.

a *1.Tim.* 2. NEC dubium est eos oportere nominari, & [a] esse Magistros, ac Doctores gentium, quibus præcepit Dominus, dicens: Euntes docete omnes gentes; scilicet Prælati in Ecclesia Dei eum tenent locum, quem olim in Synagoga tenebant septuaginta illi viri, de
b *Num.* 11. quibus præceperat Dominus Moysi dicens. Congrega mihi septuaginta viros de Senibus Israel, quos tu nosti quod Senes populi sint, ac Magistri, & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus Populi, & non tu solus graueris; Propterea & Apostolus de Prælatis
c *Eph.* 4. Ecclesiæ dixit. [c] Quos dedit Deus Pastores, ac Doctores; fuerat nempe hoc per Prophetam Isaiam multo ante Ec-
d *Isai.* 30. clesiæ nostræ à Deo promissum. Isaias enim dicit. [d] Et nõ faciet auolare à te vltra doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum post tergum monentis. hæc est via, ambulate in ea, & non
e *Ioh.* 2. declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram. Et [e] rursus Iohelis vaticinium hortatur filias Sion, vt exultent, & lætentur in Domino Deo nostro, quia, inquit, dedit vobis Doctorem Iustitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum, & Serotinum, sicut in principio; Dignum
f *Matt.* 21. quippe & iustum est, vt sicut [f] super Cathedram Moysis sederunt Scribæ ac legis Doctores, sic & qui super Cathedram Christi sedent, Doctores sint & Magistri, vt in fa-
g *Psal.* 1. ciem resistere valeant, [g] Pseudo magistris, qui sedent in Cathedra pestilentiæ, introducentes sectas in perditionem

homi-

hominum, [h] diuinantes mendacia, & docentes vana, [i] & multi sequuntur eorum luxurias, per quos via vertatis blasphematur. [K] Filij namque hominum diligunt vanitatem, & quærunt mendacium, [l] vnde & libenter audiunt magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditũ auertunt, ad fabulas autem conuertuntur, [m] quos oportet redargui ab his, quibus datæ sunt claues scientiæ, Prælatis nimirum Ecclesiæ, ad quos spectat [n] vtilia docere & viam veritatis ostendere. Secus autem, [o] si vos, qui propter officium deberetis in Israel esse magistri, hæc ignoratis, & adhuc indigetis, vt doceamini, quæ sint elementa exordij Sermonum Dei; Qui erunt homines per quos doceamini, cum vos elegerit Dominus, per quos errores, & ignorantiam instruat cæterorum? [p] Vbi erit litteratus? Vbi legis verba ponderans, vbi Doctor paruulorum? Quid prodest si vniuersi quidem fideles sint docibiles Dei, sicut est scriptum in Prophetis, & Prælati non doceant illos?

h *Exo.* 13.
i 2. *Pet.* 2.
k *Ps.* 5.
l 2. *Tim.* 4.
m *Ti.* 1.
n *Is.* 48.
o *Heb.* 5.
p *Esa.* 34.
q *Iohel.* 6.

Propter hoc Episcopi nominantur, quippe ad eos pertinet alijs superintendere, sic enim eos vocitant Apostolorũ Principes, Petrus & Paulus, & ille quidem dicit. [r] Eratis enim sicut oues errantes, sed conuersi estis ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum. Iste vero ait. [s] Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit Sanguine suo: & ad eos aptari potest, quod dictum est per Prophetam. [t] Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ouem Ioseph. [u] Intende ad visitandas omnes gentes, non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem. Nam qui neglecto grege, solum fabulis, ludis, aulis, lucris ac litibus intendit, [x] quæ quæstiones magis præstant, quam ædificationem Dei, quæ est in fide, profecto nihil habet Episcopi, & bonum esset, [z] si Episcopatum eius acciperet alter.

r 1. *Pet.* 2.
s *Acto.* 20.
t *Ps.* 76.
u *Ps.* 58.
x 1. *Tim.* 1.
z *Ps.* 108.

Cum antem præcipuum munus Prælati sit Euangelizare, quid mirum si de eo scriptum est. [a] Hierusalem Euan-

a *Isa.* 41.

b Isa. 40. gelistam dabo! cui enim nisi Prelato dicitur.[b] Super montem excelsum, nimirum Prælationis, ascende. Sed quis ascendet? Tu videlicet, qui aptus es, vt Euangelizes Sion.

c 2. Tim. 4. [c] Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, d Prou. 8. obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. [d] Aperiane Isa. 61. tur labia tua, vt recta prædicent. [e] Quare Spiritus Domini f Ps. 44. super te? [f] Quare vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ g Isa. 61. consortibus tuis? [g] nonne ad annunciandum mansuetis misit te, vt medereris contritis corde, vt prædicares annum placabilem Domino, in diem vltionis Deo nostro, vt consolareris omnes lugentes, vt poneres lugentibus Sion, & dares eis coronam pro cinere, & oleum gaudij pro luctu, vt predicares captiuis indulgentiam, & clausis apertionem?

h 1. Cor. 1. [h] Non misit, inquit Apostolus, nos Dominus baptizare, non ludere, venari vel epulari, non litigare, sed Euangei Eph. 3. lizare; non thesaurizare, sed [i] dispensare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo. Non misit nos Dominus pecuniarum, sed animarum lucris inhiare, non aulis Principum inseruire, sed Euangelium populis prædik 2. Tim. 4. care. [k] opus, inquit Paulus, fac Euangelistæ non Oeconomi, non computistæ, opus fac Prædicatoris, non negol Act. 6. tiatoris. [l] Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis Viduarum & pauperum, qui scilicet orationi instare tenemur, ac ministerio Verbi Dei, & æquum est nos adstare quotidie mensis nummulariorum, & pecunias perpetuo contrectare? Væ tibi qui animarum m 1. Cor. 9. curam geris, [m] si non Euangelizaueris, necessitas enim tibi incumbit, dispensatio verbi Dei tibi præsertim Episcopo credita est, & non alijs. Quod si quidam Secundi ordinis Sacerdotes (siue ij sæculares sint, siue regulares) prædicandi munus exercent, certè sicut tu Dei, sic ipsi tui adiutores, tui cooperatores sunt. Et quomodo prædicabunt, nisi ab Episcopo, velut à se delegati mittantur? Moy-

sen

ſen quidem oportebat pro Deo legatione fungi apud Pharaonem, ſed quia ipſe impeditioris linguæ erat, dedit ei Dominus Deus Aaron. [n] Aaron, inquit, frater tuus Leuites, ſcio quod eloquens ſit, loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo, & in ore eius, & oſtendam vobis quid agere debeatis, ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum, tu autem eris in his, quæ ad Deum pertinent. Cæterum memento, quia cum tu factus es Epiſcopus, [o] datum eſt tibi Euangelium æternum, vt Euangelizares ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum: [p] denique vt prædicares Euangelium omni creaturæ. [q] Ad te ſunt hi Sermones Domini. [r] Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaueris ei, neque locutus fueris, vt reuertatur à via ſua mala & viuat, ipſe quidem impius morietur in iniquitate ſua, ſanguinem autem eius de manu tua requiram. [ſ] In quo enim corrigit ſubditus viam ſuam, niſi in cuſtodiendo Sermones Prælati ſui? Quis reducet errantes in viam rectam. [t] Quis conuertet corda Patrum in filios? Quis lupos arcebit à grege [u] ſi canes muti ſunt non valentes latrare? Et quidem [x] Epiſcopus Canis eſt quo ſatiante lupus furit, Gallus Petri eſt, quo canente Peccator aperit oculos, excitatur à ſomno, & à domo peccati exit amarè deplorans culpam ſuam, opus ergo fac Euangeliſtæ, & implebis miniſterium tuum. [y] Si nihil ſubtraxeris vtilium, quo minus annunties populis, docens eos publicè & per domos, teſtificans iuſtis & impijs in Deum pœnitentiam, & Fidem in Dominum Ieſum Chriſtum. [a] Sit autem Sermo tuus & prædicatio tua in oſtenſione ſpiritus, & virtutis, nõ in perſuaſibilibus humanæ ſapiẽtiæ verbis [b] & iſte omnis fructus, tantũ vt auferatur peccatum. [c] Loquere ad cor Ieruſalẽ [d] memẽto quia ſapiẽtibus & inſipientibus debitor es [e] Nunc autẽ, inquit, Doctor Gentiũ, ſi venero ad vos linguis loquens ſublimia, quid vobis proderit, ſi loquar

n *Exod.* 4.
o *Apoc.* 4.
p *Matt.* 16.
q *Sap.* 6.
r *Ezech.* 33.
ſ *Pſ.* 118.
t *Mal.* 4.
u *Iſ.* 56.
x *Tob.* 2.
y *Act.* 20.
a 1. *Co.* 2.
b *Eſa.* 27.
c *Eſa.* 40.
d *Rom.* 1.
e 1. *Co.* 14.

in

in scietia, aut in prophetia, aut in doctrina Philosophorū, sermo meus & prædicatio mea non capiet in vobis. Non enim omnes capiunt huiusmodi verba [f] Exhoratio tua non de errore, neq; de immunditia, neq; in dolo, sed sicut probatus es à Deo, vt tibi crederetur Euangelium, ita loquere non quasi hominibus placens, sed Deo qui probat corda hominum. Sic enim cum fiducia dicere audebis, sicut Apostolus: Neq; enim fuimus aliquando in sermone adulationis sicut scitis, neq; in occasione auaritiæ (Deus testis est) & vos scitis, quam sanctè, & iustè, ac sine querela in vobis, qui credidistis, fuimus deprecantes vos, & consolantes. Tunc enim fiduciam habebis in Deo, loqui ad subditos tuos Euangelium Dei tanquam potestatem habens, si prius cœperis facere, & docere [g] Si non audeas aliquid loqui eorum quæ per te non efficit Deus: verum [h] si vox prædicationis tuæ, vox Iacob, manus autem operationis, manus Esau; [i] Vtriq; dicetur tibi Medice cura teipsum; [k] Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. [l] Nonnè os tuum condemnat te, qui prædicas non furandum & furaris? qui dicis non mæchandum & mæcharis? qui abominaris idola & sacrilegium facis, qui in lege gloriaris, & per præuaricationem legis Deum inhonoras? [m] Nunquid non Prædicatori simul, ac Peccatori dicet Deus. Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum, tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum? existimasti iniquè quod ero tui similis? arguam te & statuā cōtra faciem tuam. [n] Erit profectò Prælati sermo subditis fructuosus, sed ipso cooperante, ac sermonem confirmante sequentibus, quinimmo præcedentibus bonorum operum signis. Quod si propter linguæ tarditatem, aut aliud quodpiam impedimētum, non vales implere ministerium tuum, vide cui tuas euāgelizandi vices cōmittas; Multos enim audies, quod & flens dicet, Euangelij prorsus ignatos, quorum finis non salus, sed interitus

f 1. Thes. 1.
g Rom. 14.
h Gen. 27.
i Iob. 12.
k Matth. 12.
l Rom. 2.
m Ps. 49.
n Mar. 16.

anima-

animarum, quorum intentio, quæstus pecuniarum, non hominum, & gloria non in conuersione peccatorum, sed in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt, hi indoctas aliquando fabulas, & commenta quædam sequuti, imaginarios quosdam conceptus, non ex fontibus diuinarum scientiarum, sed ex alienis scriptitationibus, vel ex proprio Marte confictos, ex cancellis, tanquam pro rostris perorantes, pro summa sapientia proferunt in lucem, & buccis concrepantibus, recitant aut venditant potius, quam prædicant, nō in ostensione spiritus & virtutis ad permouenda peccatorum corda, sed in ostentatione ingenij, memoriæ ac dicacitatis, ad auram popularem aucupandam, & pecunias sub prætextu, pietatis & eleemosynæ exhauriendas, seu dicas importunè extorquendas.

Et quid est, conuentione facta de pecunijs, de mercede pro prædicatione pacisci, (quod multi faciunt,) nisi dicere, sicut Iudas. o Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam. Neque enim populis prædicarent, nisi prius ijs spoponderint pecuniā se daturos, quam si non adeo liberaliter dederint, in Pascate sanctificant super eos prælia, & adimpletur in eis Sermo, qui scriptus est. p Hæc dicit Dominus super Prophetas, qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem, & si quis non dederit in ore eorum quidpiam, sanctificant super eos prælium. O detestandam peruersitatem, vt ministerium Euangelicæ prædicationis coōertatur in quæstū sacrilegæ negociationis? q Adeo pretiosus erat olim Sermo Domini, vt Prophetæ sancti, qui ad hoc egregium munus peragendū à Deo mittebantur, illud vix assumere sibi fiderent suā causantes imperitiam. r Sic Hieremias. Aaa Domine, dicebat, ecce nescio loqui, quia puer ego sum. ſ Sic non nisi calculo prius de altari accepto purgatis labijs Isaias loqui de rebus diuinis præsumit, dicens: Vę mihi, quia vir pollutis labijs ego sum: iam t vero tam vilis est sermo Domini in oculis

o *Matt.* 26.
p *Mich.* 6.
q 1. *Reg.* 3.
r *Hier.* 2.
ſ *Isa.* 6.
t 1. *Reg.* 2.

nostris, vt plurimi opus Euãgelistæ ne dum vltro oblatũ suscipiant, quin & litteris insuper cõmendatitijs vndequaq; emendicatis [u] instant opportunè, importunè, rogant, obsecrant, vexant, quousq; de manibus Prælatorum vel inuitis, prædicandi facultatem extorqueant. [x] Quidam quidem propter vanam gloriam, quidã propter inuidiam & contentionem, quidam ex cupiditate, pauci autem propter bonam voluntatem, haud scio Christum nè, an seipsos prædicant. Quid enim dum omni modo siue per occasionem, siuè per veritatem Christus annuntietur, vtiq; gaudendum. Verum dolendum summopere, quod iam [y] iuuenes, & pueri, senes cum iunioribus, audeant ac permittantur sedere super cathedram Moysis, suggestum ascendere, Euangeliumq; non sine magno Ecclesiæ scandalo, ac tanti muneris vilipendio prophanare potius quam prædicare. Contingit enim nobis sicut tempore Hierusalem. [z] Nam quicunq; volebat, implebat manum suam, & fiebat sacerdos excelsorum, iam vero quicunq; vult, audet fieri Euangelicæ legis doctor, cuius nunquam fuit discipulus. Quidquod in quibusdã Catholici orbis partibus causantes Prælati quidã, operariorũ paucitatem, vbi tamen messis non est adeo multa, Clericos ex Scholis grammaticæ, vel Poesis assumptos, ac per saltus ad sacros ordines promotos, ex rudibus, ac omnino ineptis Prisciani, vel Emanuelis discipulis ineptissimos constituũt Euangelij ministros,[a] Et cum non intelligant, neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant, ijs tamen prædicandi vires committunt, qui ne librum quidem Euangelij fortasse legerunt. [b] Sic sic Verbi Dei dispensatores, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos ad euangelizandum constituite, ad verecundiam vestram dico. [c] Et miramur si nemo credit auditui nostro, & quærimur quod nemo obediat Euãgelio? & dolemus, [d] quod intrent lupi rapaces in nos non parcentes gregi? videte ne queratur sermo Dei de nobis, quod sit tam vilis in oculis nostris, queruntur merito, & po-

u 2. *Tim.* 4.
x *Phil.* 1.
y *Ps.* 150.
z 3. *Reg.* 1.
a 1. *Tim.* 1.
b 1. *Cor.* 6.
c *Isa.* 52.
d *Act.* 20.

puli, quod multis Prelatis non sint in conspectu eorum pretiosæ animæ illorũ, qui cum vix multo studio, & inquisitione inueniant virum fidelem & industrium, cui prouentuum suorum eredant dispensationem, semper tamen paratũ habent, cui curam animarum, cui dispẽsationem ministeriorũ Dei facilè committant. Scilicet pretiosior est in conspectu illorum, pecunia, quam sermo Dei, cariores diuitię quã animę. [e] Transite ad Insulas Cetyn, ad hæreticorum sectas, & videte qua solertia prius erudiunt, qua seueritate demum probant suos, quos Prædicantes appellant; & quidẽ ipsi non sunt Prophetę, sed Pseudoprophetę, nõ verbi Dei expositores, sed corruptores. [f] Verè prudentiores filij tenebrarũ, filijs lucis in generatione sua sunt. Cũ igitur Prælati ad Euangelium prædicandum se pręsertim nouerint esse destinatos, debent vel tantum ministerium ipsimet adimplere, vel ijs Euangelij dispensationem cõmittere, [g] quos nouerint nõ in sermone adulationis, aut in occasione auaritiæ, sed ex charitate Christũ annuntiare, qui non, sicut plurimi adulterent verbũ Dei, [h] sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, corã Deo in Christo loquantur scientes, qui [i] Episcopis credita primũ est dispensatio verbi, & de illa procul dubio, rationem reddituri sunt coram Deo, illorum, & omnium Iudice.

e *Hier.* 2.
f *Luc.* 16.
g 1. *Thes.* 1.
h 2. *Cor.* 2.
i 1. *Cor.* 9.

Cur Prælatus Dux, Gubernator, ac Iudex dicatur. Rapsodia XLI.

[a] CVM vero castra Dei sint hæc, scilicet fidelium turbæ; nimirũ Ecclesia [b] terribilis vt castrorum acies ordinata, aduersus quam mundus, caro, Dæmonia diuersa mouent prælia. [c] Quis docebit manus eius ad prælium & digitos eius ad bellum, [d] vt sic pugnet, non quasi in incertum, aut quasi aerem verberans. Quis eripiet illam de manibus inimicorum eius? vtique Prælatus [e] Dux eius, & notus eius, cui suo sensu conuenit,

a *Gen.* 32.
b *Cant.* 6.
c *Ps.* 143.
d 1. *Cor.* 9.
e *Ps.* 53.

f *Psal.* 90. quod dictum [f] Scuto circũdabit te veritas eius, Prudẽtia & virtus eius. Ex te enim, ait Dominus, exiet Dux, qui regat populum meũ Israel, & illud quod de Christo alibi. [h] Ecce testem populis dedi eum, Ducem ac Præceptorem gentibus. & rursus, quod scriptum est in Hieremia Propheta, licet diuerso procul sensu. [i] Dominus Deus dedit te Sacerdotem pro Ioiade Sacerdote, vt sis Dux in Domo Domini super omnem virum arreptitium, & Prophetantem, vt mittas eum in neruum, & in carcerem. [K] Propterea & Apostolus Paulus à Licaonibus Mercurius vocabatur, quia erat Dux verbi [l] Principes ergo Iuda Duces eorũ, [m] hi sunt sexaginta equites ex fortissimis Israel, qui lectulum Salomonis ambiunt, hoc est Ecclesiam Dei, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Et quidem oportet fortes eos esse & ad bella doctissimos, quos in bello ancipiti, cuius incertus est exitus, & rara victoria, [n] aduersus carnem, & sanguinem, aduersus Mundi rectores tenebrarum harum, aduersus Principatus & Potestates, contra spiritales nequitias Dæmonum de summa rerum suarum, suorumque subditorum decertare oportet. [o] Et spiritus quidem promptus est, sed caro alias infirma, adeo exæstuat, [p] & concupiscit aliquando aduersus spiritum, vt quamuis condelectetur, vt quis legi Dei secundũ interiorem hominem, aliam tamen sentiat in membris suis legem repugnantem legi mentis suæ, quin & ipsum captiuantem in lege peccati. Infœlix homo, quis te liberabit de corpore mortis huius? [q] Gratia Dei per Iesum Christum ad quem te perducet Prælatus. [r] Ecce vides cadere à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis, [s] en vides fortissimos quosque carnis vulneribus interfectos. [t] Mundus quoque totus in maligno positus est. [u] Nam omne quod est in mundo, aut concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorũ, aut superbia vitæ est. [x] Vbiq; absconderunt superbi laqueũ

h *Isa.* 55.
i *Hier.* 29.
k *Act.* 17.
l *Ps.* 67.
m *Cant.* 3.
n *Eph.* 6.
o *Matt.* 26.
p *Gal.* 6.
q *Rom.* 7.
r *Ps.* 90.
s *Prou.* 30.
t 1. *Ioh.* 5.
u 1. *Ioh.* 1.
x *Ps.* 141.

tibi.

tibi. [y] Peccatores intenderunt arcum suum, parauerunt sagittas suas in Pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde. [z] Denique inimici hominis domestici eius: quomodo effugies manus eorum, nisi vel [a] transmigres in montem, & habites sicut passer solitarius in tecto, vel spiritus Prælati planè bono suo exemplo, & verbo deducat te per vias rectas? [b] Persequitur enim inimicus quemlibet, tametsi inopem & mēdicum, & compunctum corde mortificare. [c] Sed & Prælato, quippè fortior esse præsumitur, fortior instat concertatio aduersus insidias Diaboli, [d] qui habet aures sicut aspidis surdę, & obturantis aures suas, ne audiat vocem incantantium, & venefici incantantis Sapiēter. [e] Quis vero super aspidem & Basiliscum ambulabit, aut conculcabit Leonem, & Draconem? [f] Quis pugnabit cum antiquo serpente. [h] Portas vultus eius quis aperiet? per gyrum dentium eius formido; corpus illius quasi scuta fusilia compactum squammis se præmentibus, sternutatio eius splendor ignis, oculi eius vt palpebræ diluculi, de ore eius lampades procedūt, sicut tædæ ignis accensæ, de naribus eius procedit fumus, sicut ollæ succensæ atque feruentis, habitus eius prunas ardere facit, reputabit quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum, æs. Non fugabit eū vir sagittarius, in stipulam versi sunt lapides fundæ, & deridebit vibrantem hastam, denique factus est, vt nullum timeat, à facie quippe eius ceciderunt fortes Israel, [i] & nunc hunc, nunc illum consumit gladius eius.

Et in his omnibus Prælatus velut inclytus Dux [k] accinctus gladio super femur suum potentissime [l] stare cogitur ex aduerso belli, vbi fortissimū est prælium. Nam etsi sagittarij ad omnes & singulos fideles ex inferno desubtus, tentationum iacula dirigant, totum tamen pondus prælij vertitur in Saul, scilicet in caput Ecclesiæ, & insequuntur eum viri sagittarij, si forte vulnerent [m] eum, dicit enim Rex Syriæ, scilicet Dæmon Satellitibus suis, Ducibus equitatus

y *Ps.* 3.
z *Mich.* 7.
a *Ps.* 10.
b *Ps.* 108.
c *Sap.* 6.
d *Ps.* 57.
e *Ps.* 90.
f *Matt.* 10.
h *Iob.* 41.
i 2. *Reg.* 11.
k *Ps.* 29.
l 1. *Reg.* 31

sui, ne pugnetis contra minimum, & contra maximum, nisi contra solum Regem Israel, contra solum Prælatum, & hic totus conatus Phylistinorum, vt auferant ex Israel arma, & armatos, fortes ac strenuos Prælatos, qui vim belli valeant sustinere. Et verè si Prælatus suffert tentationem, beatus, nam coronam vitæ accipiet cum probatus fuerit; sed si præualeat inimicus aduersus illum, qualis erit ruina eius? scilicet, [o] qua die moritur Saul, vniuersi quoque viri pariter cadunt. Nunquam solus cadit Prælatus, si [p] Lucifer à cælo decidit, vtique vel tertiam partem stellarum sua cauda secum trahit, qualem patietur Prelatus cõfusionem cum improperabit inimicus illi, & dicet. [q] Et tu sicut & nos vulneratus es, nostri similis effectus es. [r] Ne quando igitur præualeat inimicus aduersus vos. [s] Confortamini in Domino duces Israel, & in potentia virtutis eius [t] induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed spiritualia, potentia Deo ad destructionem munitionum consilia destruentes; dum[u] enim Prælatus tanquam fortis armatus custodit atrium suum, Diocœsim suam, in pace sunt omnia, quæ possidet, si autem fortior illo superuenerit, & vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius, scilicet animas, distribuet. [x] Vigilate ergo Prælati, qui tã periculosum onus belli sustinetis, quia aduersarius vester diabolus, tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. Cõsiderate, quia non solum militantis Ecclesiæ, sed periclitantis Nauiculæ Petri, Gubernatores, ac nautæ constituti estis, [y] alioquin vbi non est Gubernator, corruet populus. Et quidem qui nauigant mare huius sæculi enarrant pericula eius, scilicet Ecclesiæ. [a] Subest enim periculis fluminũ, periculis latronum, periculis in genere, periculis ex gentibus, periculis in Ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus. [b] Quid si Nautæ non descendant mare

n *Iac.* 1.
o 2. *Reg.* 1.
p *Apoc.* 8.
q *Esa.* 14.
r *Ps.* 12.
s 1. *Mac.* 3.
t *Eph.* 6.
u *Luc.* 11.
x 1. *Pet.* 5.
y *Pro.* 14.
a 2. *Co.* 11.
b *Ps.* 106.

in nauibus,ſed deſcendant ex mari ad littus delitiarum,nauemque ſine remo ac remigante relinquant,nonnè Sathan [c] in ſpiritu vehemēti conteret naues Tharſis? Quid ſi nauta,ſeu is cuius intereſt remū dirigere,in pupi reſidens ſuper ceruical ſenſualium commoditatum ſtertat & dormiat. [d] quaſi ſopitus Gubernator in medio mari amiſſo clauo,nonnè nauis illa periclitabitur, nonnè dignus eſt, cui populus improperet dicens. [e] Magiſter non ad te pertinet,quia perimus, intelligat ergo Prælatus ſuorum ſalutem ſubditorum à ſe pendere.Nam gubernaculum nauis in manu eius, laboret igitur in remigando,quouſque nauim, & eos qui in ea ſunt,ad portum ſecuritatis deducat.

c *Pſ.* 147.
d *Pro.*23.
e *Mar.* 4.

Cur Prælatus Iudex, Legatus, Lucerna, Medicus ac Mater, Nutrixq; populi nominetur. Rapſodia XLII.

QVONIAM autem Prælatus non ſolum claues habet ſcientia, ſed etiam iuriſdictionis, [a] quippe qui conſtitutus eſt Deo ſuper montem ſanctum ſuum; nam & ad ipſum pertinet, quod ſcriptum eſt. [b] Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum. [c] Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem iuſtificate, eripite pauperem & egenum de manu fortiorum eius liberate. [d] Ideo niſi valeas irrumpere iniquitates potentum, noli quærere fieri Iudex aut Prælatus. [e] Nam gladij ancipites in manibus Prælati, [f] qui ne dum corpus occidere, ſed & animam poteſt mittere in gehennam. Hi gladij ſunt Eccleſiæ, cenſuræ, quibus vtitur [g] ad faciendam vindictam in nationibus, quæ ſunt rebelles lumini, increpationes & in populis, qui ſunt

a *Pſ.* 2.
b *Pſ.*71.
c *Pſ.* 51.
d *Eccli.* 17.
e *Pſ.*150.
f *Matt.* 10.
e *Pſ.* 150.

duræ ceruicis, & incircumcisi corde, quin immo ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conscriptum in Decretis Sanctorum Patrum, & in decretalibus Summorum Pontificum, & in codicibus diuinarum humanarumq; legum. Quoties namq; his vsus gladijs summus Pontifex

h *Luc.* 1. [h] dispersit superbos mente cordis sui, deposuit etiam potentes ac tyrannos de regnis & sedibus, & exaltauit humi-

i *Ps.* 104. les translato Imperio [i] de gente in gentem, & de Regno

k *Ps.* 109. ad populum alterum? [k] Et quidem virgam virtutis & po-

l *Rom.* 13. testatis suæ ex Syon [l] Non est enim talis potestas nisi à

m *Exod.* 4. Deo [m] tantum videat ne virga vertatur in colubrum,

n *Ps.* 44. [n] virga Regni eius virga directionis non dominationis aut

o 4. *Reg.* 18. peremptionis,[o] neq; tamen virga eius, baculus arundineus qui facilè frangi vel vento agitari valeat. [p] Sed virga fer-

p *Ps.* 2.

q *Matth.* 16 rea, [q] aduersus quam nec inferi portæ præualeant. Hæc

r *Matth.* 21. est virga, [r] qua eijciuntur vẽdentes & ementes de templo

s 1. *Co.* 5. qua fornicator traditur Sathanæ in interitum carnis vt

t *Act.* 13. spiritus saluus fiat [t] Qua Anania & Saphira subita morte

u *Ps.* 2. tolluntur, qua conficitur illa disciplina [u] quam iubentur Reges apprehendere, ne irascatur Dominus & pereant de

x *Luc.* 19. via iusta [x] hac mandatur Prælatis, vt publicè peccantem corripiant, ne sint sicut formidines in Cucumerario. Disciplinam ergo libens habeat Prælatus, metuendus imponat.

Legatus

Sunt etiam procul dubio Prælati, ac iure dicuntur lega-

a *Abd.* 1. ti, qui [a] pacem his qui longè, & his qui prope sunt annunciant. Hi sunt de quibus scriptum est Auditum audiui-

b *Hie.* 49. mus à Domino; Legatos misit ad gentes.[b] legatus, inquit

c 2. *Co.* 3. Hieremias, ad gentes missus sum [c] Legatione, inquit Apostolus, pro Christo fungimur, tanquam Deo exhor-

d 1. *Tim.* 2. tante per nos, obsecramus, reconciliamini Deo: [d] Est qui-

e 1. *Ioh.* 2. dem vnus mediator Dei & hominum Christus Iesus [e] quẽ

f *Rom.* 8. aduocatum habemus apud Patrem [f] qui & postulat pro no

bis

bis gemitibus inenarrabilibus, g sed ipse ascendens in cælum dedit nobis ministerium reconciliationis, & posuit in nobis verbum reconciliationis, & dixit nobis h Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam, & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius, ad gentem expectantem, & conculcatam, & dicite illis i obsecramus reconciliamini Deo k Nos igitur & si mortales simus, similes alijs: l sumus tamen Nuncij seu Angeli Dei annunciantes pacem hominibus bonæ voluntatis m pacificantes quæ in cælis, & quę in terris sunt n annunciātes hominibus conuerti ab his vanis ad Deum viuum, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas, & tempora quidem huius ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus per Prælatos suos, vt omnes vbiq; pœnitentiam agant, eo quod statuit diem, in quo iudicaturus est orbem terræ in æquitate. Videat ergo Prælatus quisq;, quomodo hac legatione fungatur, ne sit sicut scriptum est o sicut acetum dentibus & fumus oculis, sit piger his, qui miserunt illum; fidelis autem legatus, sanitas. Frequentius nihil ferè legimus in Sacris Codicibus, quam quod Prælati sunt p sicut luminaria lucentia in mundo, & lucernæ ardentes in caliginoso loco. Cui enim magis, quā verò Prælato conuenit, quod scriptum est q Ille erat lucerna ardens & lucēs? & iterum r Quasi Luna plena in diebus suis, & quasi Sol refulgens inter nebulas gloriæ, sic iste refulsit in templo Dei s Propterea non permittit Populus Israel vt egrediatur Rex ad Prælium, ne extinguatur lucernæ in Israel, nihil quippe perniciosius populo quam si Pręlatus quisquam, qui veluti lucerna prælucebat in templo Domini, per mortem extinguatur; t nimirum necesse est eos tenebræ compræhendant, quibus amotum candelabrum, & lucerna extincta est. Hoc non secus, ac initium dolorum comminatur Dominus Hierusalem, per prophe-

g 2. Co. 5.
h Esa. 18.
i 2. Co. 3.
k Act. 17.
l Luc. 2.
m Col. 1.
n Act. 14.
o Prou. 10.
p Philip. 2.
q Ioh. 15.
r Eccli. 50.
s 1. Reg. 21.
t Ioh. 22.

u *Isa.* 3. tam dicentem. [u] Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet à Iuda validum, & fortem, & virum bellatorem, iudicem & Prophetam, & ariolum, & Senem Principem super quinquaginta, & honorabilem vultu, & consiliarium & sapientem, & prudentem eloquij mystici, & dabit pueros Principes eorum; effæminati dominabuntur eis. Et quidẽ Prælatus lucerna est [x] non sub modio sed super candelabrum Ecclesiæ posita, vt luceat omnibus qui in domo sunt [y] vt illuminet omnes homines, ne in tenebris ambulent [z] & offendant, sicut cæci. [a] Quoniam enim tu illuminas Lucernam meam Domine, scilicet Prælatum, sequitur vt etiam illumines tenebras meas. [b] Verus namque Prælatus in tenebris lucere debet, ne tenebræ sæculi huius compræhendant eum. Meminerit ergo Prælatus, quid ab illo, suo prope iure exigit subditus quisq; dum illi dicere valet. [c] Lucerna pedibus meis verbum, & exemplum tuum, & lumen semitis meis. [d] Sic igitur luceat lux eius coram hominibus, vt videant opera sua bona, caueat [e] ne oleum charitatis deficiat in lampade sua, lampas enim extincta, fætorem & fumum, sed non splendorem & lucem, his, qui in domo sunt affert. Est autem vnicuiquè, qui Prælatus est, probatica piscina, [f] sua cuiq; Dioecesis, tot ferè porticus habens, quot Ciuitates, & Castella, & familias, in his iacet multitudo magna, supra quam dici valeat, languentium, cæcorum, aridorum, claudorum, expectantium aquæ motum. In his alij sunt Paralitici, alij magnis febribus detenti, & multi, in quibus à capite ad verticem non est in eis sanitas, & in his omnibus, alij triginta, & octo, alij Sexaginta, alij tot habent annos in infirmitate sua, quot in vita. [g] Infirmitas autem & cura hæc sub te est, qui curatus, seu curator diceris animarum ad te clamant, & dicunt [h] medicinam Sacramentalem mihi impende, quoniam infirmus sum. [i] Oculi omnium in te sperãt, ò Prælate, [K] vt impertiaris eis aliquid gratiæ quæ sanet

x *Matt.* 5.
y *Ioh.* 1.
z *Soph.* 1.
a *Ps.* 17.
b *Ioh.* 1.
c *Ps.* 118.
d *Matth.* 5.
e *Matth.* 25
f *Ioh.* 5.
g *Esa.* 3.
h *Ps.* 6.
i *Ps.* 144.
k *Ioh.* 5.

net eos a languoribus suis, & liberet eos, à quacunq; detinentur infirmitate[l] putant enim, quod talis virtus à Christo exeat, quæ sanet ægrotos; corripiat inquietos, consoletur pusillamines, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes [m] Quod si respondeas, non sum medicus, quis ergo medebitur illis? & quomodo tu dicis Medicus non sum, nonnè eius vices geris, de quo scriptum est [n] quia omnes, qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant ad illum, & ipse singulis manus imponens sanabat omnes? aut nunquid resinà Sacramentorum non est in Galaad; Verè si Prælatus, Medicus non est [o] Subditus hominem non habet, vt cum turbata fuerit aqua, mittat eum in piscinam pœnitentiæ salutaris. [p] Proculdubio nequè herba, neq; malagma, sed sermo Domini quem tu prædicas qui Prælatus es, sanare debet omnes. [q] Quoniam ergo tu spopondisti pro amico tuo, pro subdito tuo, quantum in te est, discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, neq; dormitent palpebræ tuæ. [r] Quod si te audient, & quæcunq; pro sua curatione mandaueris eis, feceris, lucratus es fratres & filios tuos, si te noluerint audire [s] pessima quidem plaga eorũ. [t] Sed tu iustificaberis in sermonibus tuis, & vinces cum iudicaberis. Tunc dices Iudici. [u] Domine curauimus Babylonem, & non est sanata, ideo dereliquimus eam, peruenit vsq; ad cælos iudicium eius. [x] Verum si Sacerdotis ac Leuitæ inhumanitatem imitatus, incidisti quandoq; in eum, qui à latronibus vulneratus iacet in via. & pertransiens despexisti eum, vlnus [y] & liuor & plaga tumens, à te non est sanata, non circumligata, non curata medicamine, neq; fota oleo, [z] peribit infirmus in tua conscientia, & incuria, Pars autem tua vtiq; cum illis, quibus dicturus est Dominus in iudicio. [a] Quod infirmum fuit, non consolidastis, quod ægrotum, non sanastis; quod abiectum, non reduxistis, quod perierat, non quæsistis, cum austeritate imperabitis illis, & cũ

l *Luc.* 4.
m *Esa.* 3.
n *Matth.* 21
o *Ioh.* 5.
p *Sap.* 6.
q *Prou.* 6.
r *Matth.* 18.
s *Hie.* 6.
t *Ps.* 58.
u *Hie.* 51.
x *Luc.* 10.
y *Esa.* 1.
z 1. *Co.* 8.
a *Ezec.* 34.

potentia

b *Esa.* 1. potentia. [b] Quid autem si & ipsum caput languidum, & ipsum cor mærens, & ipse medicus iacet infirmus? Quis curabit ipsum? ipse viderit. Cæterum is esse debet Prælatus, vt super afflictos pia gestet viscera, ita vt dicere valeat [c] Creuit mecum miseratio ab infantia mea, & ideo quis [d] infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? talis deniquè decet, vt sit Pontifex qui possit compati infirmitatibus alienis, & condolere his qui ignorant, & errant. Hæc enim debent esse viscera pietatis, quæ Prælatus in subditos exhibere tenetur, vt Matris, seu Nutricis, nomen & officium sibi valeat vendicare; & cum Apostolo dicere: [f] Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis: Per Euangelium enim ego vos genui, & quidem non sine dolore & ærumna, non sine labore, & vigilijs. In hoc verus est sermo, qui scriptus est, [g] quia nisi quis renatus fuerit denuo, non potest introire in regnum Dei, non quod teneatur aut possit quis in ventrem Matris suæ iterato introire, & renasci, sed quod debeat denuo renatus esse, ex aqua & Spiritu Sancto. In hac autem regeneratione mater nostra Ecclesia est, Prælatus est; ideo scriptum est; [h] Filios enutriui, & exultaui, & ad illos quidem dicitur, [i] Attendite ad petram vnde excisi estis, & ad Saram quæ genuit vos, [k] concepit enim nos à facie timoris Domini, ac gestat nos in vtero suo, & cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: Cum verò peperit, iam non meminit pressuræ, propter gaudium, non quia natus est homo in mundo, sed quia in Ecclesia filius renatus est Christo, quo contra dolebant antiquæ legis patres. [m] A facie, inquiunt, timoris tui Domine concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus Spiritum salutis [n] Quoniam verò neminem ad perfectum adduxit lex [o] venerunt filij vsquè ad partum, & non fuit virtus pariendi. Vndè & de matre Synagoga rectè dicitur, quia [p] conce-

c *Iob.* 31.
d 2 *Co.* 11.
e *Heb.* 5.
Mater Nutrix.
f *Gal.* 4.
g *Iob.* 3.
h *Es.* 1.
i *Esa.* 31.
k *Esa.* 26
l *Iob.* 16.
m *Es.* 37.
n *Heb.* 7.
o *Esa.* 37.
p *Es.* 33.

pit ardorem, & peperit stipulam Ecclesia autem quæ est Mater nostra, & concipit, & prosperè procedens parturit, quin & enutrit & exaltat filios suos, donec [q] eos formet in virùm perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, non enim quos genuit, deserit, sed nutricis quoq; officio perfuncta, lactat eos, & donec à lacte amoueantur, lac illis simplicis doctrinæ, [r] tanquam paruulis in Christo renatis potum dat, non escam, quousq; fiant, quibus cibo solido opus sit, non lacte. Nam perfectorum est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus, ad discretionem boni, & mali, [s] quippè qui iam nouerint æmulari charismata meliora, & ideo Apostolus [t] sapientiam, dicit, loquimur inter perfectos. De quibusdam vero alijs, qui adhuc paruuli erant in Christo, qui adhuc lactis participes erant, & expertes sermonis Iustitiæ, ait. [u] Tanquam si nutrix foueat filios suos, ita volebamus tradere vobis nō solum Euangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniā charissimi nobis facti estis. Viderit tantum Prælatus, ne potius Nouercæ, quam matris nomine dignus, efficiatur. [x] Nam si quis Prælatus habuerit substātiā huiusmodi, & viderit filios suos necesse habere, & clauserit viscera sua ab illis quomodo charitas ac pietas Matris manet in illo? aut quomodo traderet eis animam suā, quibus nec suā egentibus impartitur pecuniam. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.

q *Eph.* 4.
r 1. *Co.* 3.
s 1. *Co.* 12.
t *Heb.* 5.
u 1. *Thes.* 2.
x 1. *Ioh.* 3.

De Prælato operario, & Pastore. Rapsodia XLIII.

HAVD equidem scio, vndè intolerabilis iste abusus irrepserit, vt (quod vtinam non sæpe contingeret)

ex quo quis ad Prælaturam euectus est, continuò putet iure sibi deberi, vt (quæ Diui Bernardi verba sunt) lautius comedat, sapidius bibat, induatur pulchrius, cubet mollius, loquatur licentius, oret rarius, viuat delicatius, vsq; adeo, vt qui in Monasterijs[a] vsq; in hanc horam esurimus & sitimus, statim ac ad altiorem Prælationis gradum eligimur, iam non dignemur communi cibo esse contenti, cum tamen [b] & Moyses, & Aaron, & omnes Principes populi, eandem escam spiritalem manducauerint, & eundem potum biberint. Equidem illud scio, quod ad Prælationis statum assumptis dicitur: [c] ite ad onera vestra, ad onera, inquit, non ad delicias. Non vtiq; ijs dicitur. Veniat [d] dilectus meus in hortum suum, vt coronetur rosis, vt lilia colligat, vt fulciatur floribus, & stipetur malis. [e] Sed ite, inquit, in vineam meam. Ad quid vero iubentur ire in vineam? [f] an vt videant, si vinea nostra floruit, aut [g] vt comedãt fructus agrorum, & bibant vinum libaminum? [h] An ad hoc illos conducit Paterfamilias conuentione facta de denario diurno, & non potius, vt sicut operarij putent, fodiant vineam, & laborent tota die portantes pondus diei & æstus? vt [i] afferant fructũ tẽporibus suis, & fructus eorum maneat? Residere ergo sed non sedere, sed non stare ibi tota die otiosus debet Prȩlatus [K] quem ideo posuerunt custodem in vineis, vt vineam suam custodiat. Sedeat in foro sȩculi otiosus, quem nondum conduxit Paterfamilias, nondum misit in vineam suam, qui verò iam cõductus est, [l] in sudore vultus sui oportet eum comedere panem suum, nec tamen à labore vel à cultura vineæ cessare debet, si quandoque pro fructibus spinas, & tribulos germinet sibi, [m] & expectanti vt faciat vuas, proferat tãtum labruscas. Sed quid faciam, inquies, in vinea Domini [n] nam fodere non valeo, agricola non sum, vineas colere non noui. [o] Ecce Dominus ostendit tibi quid agas. Constitui, inquit, te hodie super gentes, & regna, vt

a 1. *Co.* 4.
b 1. *Co.* 10.
c *Exo.* 2.
d *Cant.* 5.
e *Matt.* 10.
f *Eccli.* 7.
g *Deut.* 32.
h *Matth.* 10
i *Ioh.* 15.
k *Can.* 1.
l *Gen.* 3.
m *Esa.* 5.
n *Luc.* 16.
o *Hie.* 1.

euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices & plantes; en habes quid facias. [p] Hanc occupationem laboriosissimam dedit Deus Prælatis, & Operarijs suis, vt distendantur in ea: Transi per Ecclesiam Prælati, qui serio hæc operatur in vinea, videbis [q] ibi pro salice ascendere abietem, pro vrtica, crescere myrtum, [r] arbores eius tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, [s] deniq; tanquam flos agri sic efflorebit. Transi [t] per agrum hominis pigri, negligentis Prælati, qui toto tempore vitæ suæ vel in foro otiosus, vel in curia negotiosus manet, & videbis quod totum repleuerint vrticæ, operuerint superficiem eius spinæ [u] vua eorum vua fellis, & botrus amarissimus, vinum eorum venenum aspidum insanabile, [x] oriuntur in domibus eius spinæ, & vrticæ, & paliurus in munitionibus eius, ibi est cubile Draconum, ibi pascua struthionum, ibi cubat lamia, ibi habet foueam eritius, enutrit catulos, circumfodit & fouet in vmbra eius, illuc congregantur Milui, alter ad alterum, [y] nec mirũ si videas ibi pro frumento oriri tribulos, pro hordeo spinas, pro vuis labruscas. Neq; [z] enim foditur, neq; putatur ab ijs, quibus, vt pote agricolis est locata. Et de fructibus quidem eius manducare volunt, [a] nolunt tamen in sudore vultus sui eis vesci. [b] Aufer ergo sepem residentię, atq; custodiæ Prælatorum, quid mirum si sit vinea Ecclesiæ in direptionem, dirue maceriam eius, curam assiduitatem, visitationum, reformationum, legum, correctionum, quid mirum si sit in conculcationem? [c] Si vindemient eam omnes qui prætergrediuntur viam, si iste tollat clericorum castimoniam, ille Ecclesiæ authoritatem enus Sacramenta, alius, Sanctorum inuocationem, &c. [d] quid mirum si aper ille de sylua saxonica prosiliens exterminauit ferè omnes septentrionales agros? quid mirùm si singularis ille ferus, qui ex Galliarum antris proripuit, de-

p *Eccli.* 1.
q *Esa.* 55.
r *Ps.* 1.
s *Ps.* 102.
t *Prou.* 31.
u *Deut.* 32.
x *Isa.* 34.
y *Iob.* 30.
z *Isa.* 5.
a *Gen.* 3.
b *Isa.* 5.
c *Ps.* 79.
d *Ps.* 29.

pastus

paſtus eſt ferè omnes vineas Aquilonis, de quo iam antè fuerat ſcriptum, quia ab [e] Aquilone, pandetur omne malum. [f] Scilicet poſuerunt cuſtodes in vineis, qui non cuſtodierunt illas, non fuerunt fideles ac diligentes operarij, ſed potius lupi rapaces, [g] ideo illos paterfamilias malè perdidit, & vineam ſuam locauit alijs agricolis; [h] Rogãdus interim Deus, vt mittat fideles operarios, in omnes vineas ſuas.

e Hie. 1.
f Cant. 1.
g Matt. 21.
h Luc. 10.
i Gen. 46.

Porrò ſi Prælatos interroges, quod eſt opus veſtrum? quid putas ipſi reſpondebunt? Paſtores (vtiq; dicẽt) ouium ſumus, curam habentes alendorum gregum; Idem etenim eſt Prælatorum, quod Paſtorum officium, ſcilicet [K] paſcere gregem ſuum [l] cuſtodire vigilias noctis ſuper gregẽ ſuum, arcere lupos à grege, adducere oues ad paſcua, deducere ad ouile oues errantes. [m] De his multo ante pollicitus eſt Dominus quod daret nobis Paſtores iuxta cor ſuum, qui paſcant nos ſcientia & doctrina. Hæc enim ait Dominus per Prophetam. [n] Paſcet vnuſquiſquè eos, qui ſub manu ſua ſunt, in cunctis Ciuitatibus eius habitaculum Paſtorum, accubantium gregum in circuitu Hieruſalem, & in Ciuitatibus Iuda adhuc tranſibunt greges ad manum numerantis. Vnus quidem eſt omnium Paſtor. [o] Ego ait, ſum Paſtor bonus, & is eſt, de quo iam olim dixerat Dominus. [p] Suſcitabo ſuper eos Paſtorem vnum, qui paſcet eos, & ipſe erit ſeruus meus Dauid, ipſe paſcet eos, & erit eis in Paſtorem. [q] Verum quouſquè fiat vnum ouile & vnus Paſtor, [r] quouſque veniat Princeps Paſtorum, [ſ] Dedit Deus alios Paſtores, & quidem tot, quot ſunt greges, his interim, nimirum Prælatis, commiſit curam ouium ſuarum. vt paſcant eas verbo, exemplo, ac ſubſidio ſubſtantiæ corporalis. Inde Petro: [t] Præcipuo omnium Paſtori terna vice mandatum fuit, vt paſcat oues Chriſti, qui etiam cæteros quoq; Paſtores admonet; dicens [u] Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundum Deum, neq; turpis lucri gratia,

k 1. Pet. 5.
l Luc. 2.
m Hie. 3.
n Hie. 33.
o Iob. 10.
p Ezec. 34.
q Iob. 10.
r 1. Pet. 3.
ſ Eph. 4.
t Iob. 21.
u 1. Pet. 35.

tia, sed voluntarie, vt in pascuis vberrimis pascatis eas. x *Exo. 34.*
x In montibus excelsis Israel erunt pascua earum, ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascent super montes Israel. y Ideo enim de post fœtantes accepit vos, non vt pascatis vosmetipsos. z Sicut hi qui coram Pharaone pastores ouium se esse professi sunt, tantum vt habitarent in terra Gessen, hoc est in terra delitiarum & diuitiarum. a Hi sunt sine timore semetipsos pascẽtes, ex quorũ numero est, qui dicit. b Non pascã vos, quod moritur, moriatur, quod succiditur, deuoret vnusquisq; carnẽ proximi sui. c Nẽpe hi æstimãt oues suas sicut oues occisionis, & ideo nihil ad eos pertinet de ouibus suis. Qui tales sunt, audiant. d Vaccæ (inquit Dominus) pingues, quæ estis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes, quæ dicitis subditis vestris, afferte & bibemus, qui dormitis in lectis eburneis, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patimini super cõtritione Ioseph, qui pascitis vosmetipsos, & nihil pertinet ad vos de ouibus. e Ad vos sunt hi sermones mei, audite Magnates, & Rectores Ecclesiæ percipite. f Væ pastoribus Israel, qui pascunt semetipsos, nonnè greges à Pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, quod crassum erat, occidebatis, gregem autem meum nõ pascebatis, & dispersæ sunt oues meæ eo quod non esset Pastor, & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerso colle excelso, & non erat, qui requireret, propterea audite Pastores verbum Domini. Viuo ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo, quod facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationẽ omniũ bestiarum agri, neq; quæsierunt Pastores mei gregem meum sed pascebant Pastores semetipsos, & greges meos non pascebant; propterea, ecce ego ipse requiram oues meas, & vi-

y *Ps. 77.*
z *Gen. 46.*
a *Iud. 1.*
b *Zach. 11.*
c *Ps. 43.*
d *Amos. 4.*
e *Eccli. 33.*
f *Ezech. 34.*

ſitabo eas, & ſuper Paſtores requiram gregem meum, ne paſcant amplius Paſtores ſemetipſos, & liberabo gregem meum de manu eorum,& non erit vltra eis in eſcã. Nonnè ſatis vobis erat paſcua bona depaſci,inſuper & reliquias paſcuarũ veſtrarum conculcaſtis pedibus veſtris,& oues meę, quæ conculcata pedibus veſtris fuerant,paſcebãtur,& quæ pedes veſtri turbauerãt,bibebãt. Pro eo quod lateribus & humeris impingebatis,& cornibus veſtris ventilabatis omnia infirma pecora, donec diſpergerentur foras, ſaluabo gregem meum,& non erit vltra in rapinã. Nunquid nõ legiſtis, quia [g] agni ad veſtimentũ tuum, & hædi agri pretiũ, ſufficiat tibi lac in cibum tuis,& in neceſſaria domus tuæ? Nunquid nõ ſufficit vobis lac comedere,etiã lanis ouiũ operiri? in hoc laudo vos, [h] quis enim paſcit gregẽ, & de lacte gregis nõ comedit? Sed [i] audite,Principes Iacob,& Duces domus Iſrael, Nunquid non veſtrũ eſt ſcire iudicium,qui odio habetis bonũ,& diligitis malum,qui violẽter tollitis pelles eorum deſuper eis,& carnem eorum deſuper oſſibus eorũ, ideo ſuper Paſtores iratus eſt furor meus, & ſuper huiuſcemodi viſitabo,quia comederunt carnẽ populi mei, & pellẽ eorũ deſuper excoriauerunt,& oſſa eorũ cõfregerunt, & cõciderunt ſicut in lebete, & quaſi carnẽ in medio ollæ, Principes eius,quaſi Leones rugientes,Iudices eius lupi veſpere nõ relinquebant in mane, Dominus iuſtus in medio eius mane mane iudicium ſuum dabit in lucẽ,& non abſcondetur. [K] Canes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatẽ, ipſi Paſtores ignorauerunt intelligentiã,omnes in viam ſuã declinauerunt,vnuſquiſq; ad auaritiã ſuam à ſummo vſq; ad nouiſsimũ. [l] Propterea vlulate Paſtores,aſpergite vos cinere, optimates gregis, quia impleti ſunt dies veſtri, quia ecce ego expellam vos de ſtatione veſtra, & de miniſterio veſtro deponã vos. [m] Vox vlulatus Paſtorũ,quia vaſtata eſt ſuperbia eorũ. Hæc verò dicit Dominus ad Paſtores ſuos: Paſcite pecora occiſionis,quæ,qui poſſederant,occidebant, & non

g *Prou.* 27.
h 1. *Co.* 9.
i *Mich.* 3.
k *Iſa.* 66.
l *Hier.* 15.
m *Zach.* 15.

dolebant, vendebant ea dicentes, benedictus Dominus, diuites facti sumus, & pastores eorũ nõ parcebant eos, vos autẽ non sic, sed quod perierat, requirite, quod confractũ fuerat, alligate, quod infirmũ fuerat, consolidate, quod pingue & forte, custodite, & pascite illos in iudicio. Verum quomodo hęc facies, si non cognoscis oues tuas, quisquis es ò Pastor, nec ipse cognoscũt te, quia tu nunquã fortasse visitasti illas, nec ipsæ audierunt vocẽ tuã? Et tamen bonus [n] Pastor cognoscit oues suas, & vocat eas nominatim. Quidni vocet Pastor oues suas nominatim, [o] cũ & Dominus Deus ipse adduxerit animalia quęq; ad Adam, vt sciret, quo nomine vocaret ea? Nonnè scriptũ est. [p] Portabitq; Aaron nomina filiorũ Israel in rationali Iudicij super pectus suum, quãdo ingredietur Sanctuariũ, memoriale corã Domino in ęternũ. Et iterũ. [q] Diligenter agnosce vultũ pecoris tui, tuosq; greges considera, non enim habebis iugiter potestatẽ. Quomodo autẽ nominatim vocabit oues suas, qui nobilibus exceptis neminem ad se permittit ingredi? Nam [r] pupillo & pauperi non iudicat, & causam viduę nõ ingreditur ad illũ. Quomodo agnoscet vultũ pecoris sui, qui nunquam [s] egreditur in agrum, hoc est, ad visitandas Ecclesias seu Parochias, qui nũquam commoratur in villis suæ Diœcesis, sed in aulis Principũ, & in Domibus Regum. Nonnè qui huiusmodi sunt [t] acceperunt in vanitate Ciuitates suas. [u] Nõnè acceperunt in vano animas sibi cõmissas? [x] Væ Pastoribus, qui dispergunt gregem pascuæ meæ, dicit Dominus, vos dispersistis gregem meum, eiecistis eos, vt nõ ingrederentur ad vos, & non visitastis eos, Ecce ego suscitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, & suscitabo super eos [y] Pastores alios, & pascẽt eos, & nõ formidabunt vltra & non timebunt, & nullus quæretur ex numero. Quid autem mirum, si populus erret, sicut ouis qua perijt, quando Pastor ipse, quandoq; per integros annos, longè à sua Diœcesi, huc illucq; vagus aberrat? [z] Tolle pastoris præ-

n *Iob.* 10.
o *Gen.* 2.
p *Exo.* 24.
q *Prou.* 27.
r *Isa.* 1.
s 5. *Cant.* 7
t *Ps.* 138.
u *Ps.* 22.
x *Hie.* 23.
y *Ps.* 118.
z *Matt.* 26.

a *Hie.* 50. ſentiam, vtiq; diſpergentur oues. Sed audiat qui talis eſt, de ſe an de alio [a] dicat Dominus. Grex perditus factus eſt populus meus, Paſtores eorum fecerunt eos vagari in montibus, ſeduxerunt eos de monte in collem tranſierunt, obliti ſunt ouilis ſui, Paſtores multi demoliti ſunt vineam meã, conculcauerunt partem meam, dederunt portionem meam in deſertum ſolitudinis. Sed ſubſtitui mihi (inquis) Virum prudentem, qui meas ſuper gregem vices gerat. In hoc laudo te. Verum nunquid & Moyſes dum in monte moraretur, negotia quidem populi cum Deo peragens, ſubſtituit

b *Exod.* 32. ſibi Aaron fratrem ſuum, & hoc ex Dei mandato. [b] Attamen moram faciente Moyſe in monte, Ignoramus, aiebat populus quid acciderit viro huic, qui nos eduxit de Aegypto. Ideo congregatus aduerſus Aaron coegerunt illum facere illis Deos alienos, ſcilicet Vitulum Aureum. Deniq; etſi iuſta de cauſa abeſſet Moyſes, etſi nemo magis idoneus ſibi ſubſtitui potuit quam Aaron, certum tamen eſt, quia

c *Hie.* 10. ipſo abſente peccauit populus: [c] Vere ſtulte agunt Paſtores, ait Dominus, qui ſibi commiſſum gregem, alijs credunt, vrget profectò magis præſentia Paſtoris, quam prudentia ſubſtituti.

d *Ioh.* 10. [d] Mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ouibus. Alioquin audi quid de Paſtore ſuas oues

e *Zach.* 10. negligente dicit Dominus. [e] O Paſtor, & idolum derelinquens gregem, gladius ſuper brachium eius, & ſuper oculum dextrum eius, brachium eius ariditate ſiccabitur,

f *Eccli.* 7. & oculus eius dexter tenebreſcens obſcurabitur. [f] Pecora ergo tibi ſunt, attende illis, ſi ſunt vtilia, perſeuerent apud tè, ſed & tu perſiſte apud illas. Vigila ſuper gregem tuum,

g *Ioh.* 10. ne de manu dormientis cadat baculus Paſtoralis. [g] Et lu-

h *Rom.* 13. pus veniat, & diſpergat, & rapiat, & deuoret oues, [h]

i *Gen.* 31. non enim ſine cauſa Paſtor baculum portat. Sit igitur Paſtor talis, qualis erat ille, de quo ſcriptum eſt, [i] quia Iacob paſçens oues Soceri ſui Laban, captum à beſtja non oſtendit illi, damnum omne reddebat, & quicquid

furtim peribat, ab eo exigebatur, & tamen capre & oues illius steriles non fuerunt, arietes gregis eius non comedebat, & insuper diu noctuq; æstu vrebatur, & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis eius.[k] Similiter & Dauid pascebat gregem Patris sui, & veniebat Leo vel Vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & ipse persequebatur eos, & percutiebat eruebatq; prædam de ore eorum, & illi consurgebant aduersus eum, & ipse apprehendebat mentum eorum & suffocabat, & interficiebat eos. [l] Verè non est Pastor bonus, qui videt Lupum venientem, & dimittit oues, & fugit. [m] Sed quid si plurimi se quidem Pastores exhibent in vestimentis ouium, intrinsecus autem & in factis sint ipsimet lupi rapaces? De quibus tamen multo ante fuerat prophetatum [n] quia principes eius in medio eius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum, & eliciendum sanguinem, ad perdendas animas, & lucra sectanda, Prophetæ autem eorum, scilicet confessarij liniebant eos absq; temperamẽto, hi sunt nimirũ qui [o] cõsuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ carnis ad capiendas animas, qui & propter pusillum hordei, & propter fragmen panis, interficiunt animas, quæ non moriuntur, & viuificant animas, quæ non viuunt, mentientes populo credenti mendacium. Meminerint ergo Pastores, vt imitentur formam Pastoris illius [p] qui relictis nonaginta nouem ouibus in deserto, venit vt quæreret ouem, quæ perierat, donec inuenit eam, & inuentam super humeros suos imposuit. [q] Non sit pastor bonus sollicitus de quærendis asinis Patris sui, sicut Saul, sed vt Ioseph, quem inuenit homo errantem in agro & interrogans quid quæreret; fratres [r] inquit meos quæro, [s] perfectus autem erit Ecclesiasticus Pastor, si sit sicut Magister eius, [t] qui animam suam posuit pro ouibus suis.

k 1. Reg. 17
l Ioh. 10.
m Matt. 7.
n Ezech. 22.
o Ezech. 13.
p Luc. 15.
q 1. Reg. 9.
r Gen. 13.
s Luc. 6.
t Ioh. 10.

Cur Prælatus Speculator, seu vigil quandoque dicatur. Rapsodia XLIV.

CVI vero nisi Prælato dictum putas. [a] Speculatorem dedi te domui Israel, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis, Et iterum: [b] Vade, pone speculatorem, & quodcunque viderit, anuunciet, & ipse [c] dabit populo significationem, vt fugiant à facie arcus? [d] Cum igitur super speculam Domini positus sis, sta iugiter per diem, super custodiam tuam, contemplare in specula Domini totis noctibus. Vę autem populo cuius speculatores cæci sunt, dormientes & amantes somnia, væ & ipsis speculatoribus, si non annunciauerint populo, quæ viderint. Terra, inquit, Dominus, cum induxero gladium super eam, & tulerit populus terræ virum vnum de nouissimis suis, & constituerit eũ super se speculatorem, & ille viderit gladium venientem super terram, & cecinerit buccina, & annunciauerit populo, audiens autem quisquis ille est, sonitum buccinæ, & non se obseruauerit, veneritque gladius, & tulerit eum, sanguis eius super caput eius erit, si se custodierit saluabit animam suam, quod si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Igitur, qui statis super speculam Domini annunciate populis, quæ ventura sunt super eos mala, vt & ipsi liberent animas suas. [f] Et vos non portetis iniquitates eorum, alioquin [g] sanguis eorum super vos, & super capita vestra. [h] Et qui nam sunt vigiles qui custodiunt Ciuitatem, nonnè Ecclesiæ Prælati, de quibus dicitur. [i] Super muros tuos Hierusalem constitui custodes

a *Ezech.* 3.
b *Esa.* 21.
c *Ps.* 59.
d *Isa.* 21.
f *Tren.* 5.
g *Matt.* 26.
h *Cant.* 5.
i *Esa.* 62.

tota die & nocte non tacebunt, [k] vnicuiq; horum mandauit Deus de proximo suo, & nemo illorum dicere valet. [l] Nunquid custos fratris mei sum ego, est etenim. [m] Et ideo non dormitabit neque dormit, qui custodit Israel. Alioquin [n] si dederint somnum oculis suis, & palpebris suis dormitationem, [o] veniet interim inimicus hominis, & super triticum seminabit zizania, [p] & dormientibus illis, quibus iussum est custodire sepulchrum, venient Pseudodiscipuli, & furabuntur corpus Christi viuum de Sepulcro altaris Ecclesiæ. Igitur [q] in verbis sanctis stabit Prælatus ad iudicandum, & non deficiet in vigilijs [r] donec vigil sanctus de cælo descendat, [s] vt cum venerit, & pulsauerit, confestim aperiantur ei.

k *Eccli.* 17.
l *Gen.* 4.
m *Ps.* 120.
n *Ps.* 131.
o *Matt.* 13.
p *Matt.* 26.
q *Eccli.* 45.
r *Dan.* 4.
s *Luc.* 12.

Quod Prælatus non solum Pater, Præpositus, ac Rector, sed etiã seruus suorum subditorum esse debet.

Rapsodia XLV.

EST vtiq; Prælatus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech sine Patre & sine Matre, nihil sapiens carnis, & sanguinis, & ipse nihilominus Pater est multarum gentium [b] ita vt dicere valeat, factus sum Israeli Pater. Qua ratione dicit Apostolus. [c] Vos filios meos carissimos moneo; nam etsi decem millia Pedagogorum habeatis, sed non multos Patres: nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. Iam vero condolendum Ecclesiæ Dei. Quia [d] pro Patribus suis Ambrosio, Augustino, Basilio, cæterisq; eorum similibus, nati sunt tibi filij. [e] Væ enim terræ, cuius princeps puer est, cuius Principes mane comedunt. [f] Væ Ciuitati, cui pro Salomone Sene, ac Sapiente succedit Roboam, qui sectatur cõsilia iuuenum, & indulget genio. [g]

a *Ps.* 109.
b *Hier.* 31.
c 1. *Co.* 4.
d *Ps.* 44.
e *Eccl* i. 10.
f 3. *Reg.* 11
g *Eph.* 3.

Rogandus cõmunis omniũ Pater, ex quo omnis Paternitas
h Exod. 18. in cælo, & in terra nominatur, [h] vt auferat de spiritu Patrũ
illorũ Sãctorum, & det modernis Prælatis eorũ filijs, ac suc
i Mala. 4. cessoribus, [i] vt conuertat corda patrum in filios, [k] vt vna-
k Sap. 2. quæq; ciuitas glorietur patrem se habere Prælatum suum,
& ea sit Prælati integritas, vt singulis, & omnibus eius sub-
ditis dicere valeat. Attendite ad Abraham patrem vestrum,
m Heb. 13. & ad Saram, quæ genuit vos. [m] Nonnè & de Prælatis di-
cit Apostolus. Mementote præpositorum vestrorum, qui
vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum
conuersationis, imitamini fidem? rectè autem Præpositus
dicitur Prælatus, quando non tam dignitatis, quam pie-
tatis ac doctrinæ gradu alios quosq; præcellit, sic enim &
n 1. Reg. 9. Saul, [n] quem diuina ordinatione Samuel Regem ac Præ-
positum vnxit populo Israel, preeminebat omnibus ab hu-
mero & sursum, quia scilicet non erat illo quisquam maior,
sed nec melior in Israel, nisi fortè eum nominari Præposi-
o Luc. 1. tum seu Prælatum velis, eo quod ipse [o] præcedere debeat
p Ioh. 19. ante alios in spiritu & virtute, [p] ità vt baiulans primo sibi
q Matt. 4. crucem, alijs dicere valeat. [q] Venite post me, [r] vel disci-
r Matt. 11. te à me. [s] Ipse vero vadit ante eos, & sequuntur eum, quo
s Ioh. 10. contra, is qui non charitate seruiente, sed potestate domi-
t 1. Pet. 7. nante se putat esse fœlicem [t] qui dominatur in clero sicut
Principes gentium, tyrannicam potius quam Ecclesiasti-
cam exercens potestatem in eos, non inquit, venite, sed
x Mat. 21. [u] ite, ait, ad onera vestra, [x] & alligant onera grauia, & im-
portabilia, & imponit ea in humeris subditorum: ipse ve-
ro nec digito suo vult ea tangere, sed Pharaonis æmu-
y Exo. 1. latus tyrannidem, [y] iubet eos facere lateres, & non dat
z 1. Tim. 6. eis paleas. [z] Scilicet alimenta, & quibus tegantur. [a] Sunt
a Exo. 1. enim ex Prælatis, seu ex Præpositis multi ex numero
illorum, quos Pharao præposuit Hebræis Magistros ope-
rum, tantum vt affligerent eos oneribus, atque ad ama-
ritudinem perducerent vitam illorum, operibus duris

luti & lateris, omnique famulatu, ita vt miseri subditi non raro propter angustiam spiritus, & duritiam eorum, qui præsunt operibus, ferè in tentationem, ac omnino in desperationem inducantur,[b] nisi appareat eis Angelus Domini cõfortans eos, ac dicens. [c] Venite ad Christum omnes, qui laboratis, & supra modum onerati estis duritia Prælatorum vestrorum, & ille reficiet vos. [d] Videat & iudicet, qui nouit eos, quos plus iusto fortè corripitis & aggrauatis quanta beneuolentia diligatis, & vtrũ subditi propter [e] iniustitias suas humiliati sint, vel Prælati propter eorum contumaciam eos tam durè, ac inhumaniter tractent, aliquando enim necessitas disciplinæ in moribus coercendis, & dicere dura verba, & duriora verbera minitari compellit, ne apud eos quos oportet esse subiectos, dum nimium seruatur humilitas, regendi frangatur authoritas. [f] Est enim, ait Sapiens, qui se nimium submittit à multa humilitate, qui scilicet vel propter inertiam peccantes non audet corripere, ne scilicet vel eos contristet. [g] Sicut Dauid noluit contristare spiritum Amon filij sui, quia primogenitus erat super incæstum, quo sororem suam iniquè constuprauerat, vel [h] quia & ipse fortassis in eadem damnatione est, [i] ne scilicet ex ore suo se iudicet, & in quo alios iudicat, seipsum condemnet, & ita Præpositus est, quasi non sit; vt illi iure conueniat, quod dictum est ad Sobnam Præpositum Templi. [k] Quis tu hic aut quasi quis hic? Sciat autem Præpositus culpæ Pastoris incumbere, quidquid Paterfamilias in ouibus suis minus vtilitatis poterit inuenire. Proculdubio autem multa vehementer sunt increpanda, vt dum culpa ab authore non cognoscitur, quanti ponderis sit ab increpantis ore sentiatur, & ideo benè dicitur. [l] Virga & correctio tribuat sapientiam. Igitur, [m] qui præest in sollicitudine, sed non in superbia & in abusione potestatis, & qui Præpositus est, [n] Peruiliget tanquam rationem redditurus pro animabus, quibus præest. [o] Est enim Prælatus idem

b *Luc.* 22.
c *Matt.* 11.
d *Exo.* 1.
e *Ps.* 106.
f *Eccli.* 19.
g 2. *Par.* 22.
h *Luc.* 23.
i *Luc.* 19.
k *Esai.* 22.
l *Prou.* 29.
m *Rom.* 11.
n *Heb.* 13.
o *Eccli.* 17.

ipse quem Deus in vnamquamque gentem Rectorem præposuit,[p] vt sit alijs Dei minister in bonum, vindex autem in iram ei, qui malè agit. [q] Quoniam autem qualis rector est Ciuitatis, tales & inhabitatores in ea, esto fidelis in charitate, in fide, in castitate, in conuersatione, vt impleatur in te, quod scriptum est, [r] Vtilem Rectorem suscitabit Dominus in tempus super illam. [s] Rectorem te posuerunt? Noli extolli, esto in illis quasi vnus ex illis, curam illorũ habe. [t] Quamuis enim Rector in medio fratrum in honore; memineris tamen, quia regnare in populo, seruire est.

p Rom. 13.
q Eccli. 10.
r Ibid.
s Eccli. 32.
t Eccli. 10.

Siquidem Officium pariter & nomen ita congruit Prælatis, vt nedum inferiores Prælati se seruos subditorum suorum vocitare consueuerint, sicut scriptum est. [u] Nos autem seruos vestros per Iesum, sed vt supremus omnium Prælatus, Romanus nimirum Pontifex, se seruum seruorum suorum nominare à multo tempore solitus fuerit, nec immerito, quia scriptum est. [x] Si quis voluerit inter vos primus esse, erit seruus vester. [y] Nonnè & Dominus ipse formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo, venit ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis. [z] Ego, inquit, in medio vestri sum, sicut qui ministrat; [a] Exemplum vtique dedit Prælatis, vt quemadmodum ipse fecit, ita & ipsi faciant. Quale vilius seruitutis officium homo homini potest exhibere, quam si lauet sordes eius. [b] Et quidem sordes eius in pedibus eius: ideo & prudens illa mulier, cum se in conspectu Regis, vellet humiliare. [c] Sit, inquit, famula tua in ancillam, vt lauet pedes seruorum tuorum, hoc autem fecit Dominus ipse, [d] quando præcinctus linteo cœpit lauare pedes discipulorum suorum, [e] propterea & Petrus seniores obsecrat ipse consenior, vt pascant, qui in illis est, gregem, forma facti gregis ex animo. [f] Sunt igitur Prælati serui Dei nostri signati in frontibus eorum, [g] habentes caracterem in dextera manu sua, de quibus pollicitus est Dominus Deus, [h]

u 2. Cor. 4.
x Matt. 20.
y Philip. 2.
z Luc. 22.
a Ioh. 13.
b Tren. 1.
c 1. Reg. 25.
d Ioh. 13.
e 1. Pet. 7.
f Apoc. 7.
g Apoc. 17.
h Amos 3.

quod

quod non faciet verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos prophetas. Hi sunt de quibus ait Sermo diuinus, [i] quia homo quidam peregrè profectus est, & vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua, & vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum, vnicuiq; secundum propriam virtutem, & profectus est statim. [K] Sed quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? [l] Puto is qui de bonis Ecclesiasticis dat escam esurientibus, qui [m] de velleribus ouium suarum calefacit pauperes, cuius ostium viatori patet, [n] qui deducit velut ouem Ioseph. [o] Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus, & inuenerit sic facientem. Amen dico vobis super omnia bona sua constituet eum.

i *Matt.* 25.
k *Matt.* 24.
l *Ps.* 145.
m *Iob* 31.
n *Ps.* 79.
o *Luc.* 12.

Quod Prælatus in Euangelio Villicus nominetur. Rapsodia XLVI.

NEC dubium quin Prælatus sit Villicus ille, [a] qui diffamatus est apud Dominum suum, quod dissipasset bona ipsius. Sed haud supra modum mirari non possum, quare cũ tot egregijs titulis totq; præclaris Prælatus sit insignititus officijs, in hoc solũ glorietur, quod sit bonus Villicus, siueindustrius Economus. Nam in pluribus locis, vbi sit eligendus Prælatus, ibi non iam quæritur vt purus Angelus, vt verus Apostolus; vt eruditus Doctor, vt fortis Dux, vt sanctus Episcopus, vt doctus Gubernator, vt iustus Iudex, vt prudens Legatus, vt expertus Medicus, vt laboriosus operarius, vt bonus Pastor, vt discretus Prælatus, vt benignus Pater, vt pia Mater, ac Nutrix, vt vigilans speculator, vt fidelis seruus, vt prouidus dispensator: Verum, vt tenax, vt parcus, vt negotiosus Vil-

a *Luc.* 16.

b 1.Cor.4. licus,[b] quis inueniatur. Et quidem cũ duplex munus incumbat Prælato, regimen scilicet animarũ, & dispensatio bonorum tp̃eraliũ, nec vtriq; oneri solus ipse sufficiat, recta ratio suadet,[c] ac diurna lex præcipit, vt ipse sit in his, quæ sũt ad Deum, vt referat, quæ dicuntur ad eum, & ostendat populo cæremonias & ritum colendi, viamq; per quam ingredi debeant, in reliquis vero prouideat de omni plebe viros sapientes & timentes Deum, qui oderint auaritiam, & hos constituat in ministerio temporalium. [d] Iam verò mos increuit in Israel, & apud multos consuetudo seruatur, [e] vt contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, hos constituant in his quæ ad Dei cultum, ad animarũ curam, ad Ecclesiasticę disciplinæ pertinent obseruantiam: ipsi vero Prælati totos [f] sese implicent negotijs sæcularibus, & omnino Villicum agant, & vtinam non etiam Villicum iniquitatis. Quinimmo quasi non claues regni cælorum, sed claues cellarij, & horrei frumentorum illis sint datæ, Iudæ potius, quod erat pecunias seruare, quam Petri, quod est oues pascere, officium sumpsisse sibi videantur. [g] Iam laudatur Villicus iniquitatis, non quod multas animas lucratus fuerit Christo, sed [h] quod coniunxerit domum ad domum, & agrum agro copulauerit. [i] Verè sapientior istis Rex ille Sodomorum, qui cæteris contemptis, Da mihi, aiebat, animas, cætera tolle tibi. [K] Ecquid prodest, si vel vniuersum mundũ tuo Monasterio, vel Ecclesiæ acquisieris, cum interim animas, quibus nullæ diuitiæ possunt comparari, tua negligẽtia perdideris, & tui præsertim detrimentum feceris. [l] Sed inquis, frumento, vino, & oleo stabiliui illud, & illi posthęc vltra quid faciam? Quid, inquit, illi vltra faciam? ergo ne putas beatum Monasterium beatam Ecclesiam, cui hęc sunt? Cæterum Ecclesiasticã disciplinã quomodo promouisti? Dei cultum quomodo exornasti? obseruantiam regularem quomodo reparasti? indisciplinatos mores quomodo reformasti? [m] aut nunquid vnam tantum habes benedi-

c Exod. 18.
d Iud. 11.
e 1.Co. 6.
f 2. Tim. 2.
g Luc. 16.
h Isa. 5
i Gen. 14.
K Mat. 16.
l Gen. 27.
m Gen. 27

ctionem Pater, benedixisti corpori, quia frumento, vino, & oleo stabilisti illud, benedic & mihi, inquit anima, sit corporis in pinguedine terræ benedictio, [n] sit & de rore cæli, benedictio mea, quod si temporalia tantum, quæ videntur, & æterna non curas, quæ non videntur, [o] tua tecum sint in perditionem. Memento, qui villicus es, quia non diuitiarum tantum, sed animarum potius villicationem suscepisti, redditurus omnino rationem villicationis tuæ, [p] ecquid facies cum iam non poteris amplius villicare, cum amotus fueris à villicatione? effodere tibi thesauros, quos in terra stulte thesaurizasti, proculdubio non valebis. Mendicare erubesces, quia dum viueres, [q] non intellexisti super egenum & pauperem, qui tuam iacebant ad ianuam. Non dimisisti nec relaxasti debita eorum, nec leuius fecisti iugum, quod imposuerunt illis prædecessores tui, [r] sed insuper addidisti cædens scorpionibus, quos illi flagellis ceciderunt, qui [s] enim antè debebat quinquaginta coros tritici, huic iussisti scribere & soluere quingentos. Putas nè, cum amotus fueris à villicatione, isti recipient se in æterna tabernacula. [t] Prouideat Dominus Deus spirituv pōderatur omnis carnis, homines qui sint super multitudinē populi Christiani, viros secundum cor suum, qui possint intrare & exire ante eos, & educere vel introducere eos, ne sit populus Domini sicut oues sine Pastore. Timeat vero sibi Prælatus quisq; sciens quia quanto in loco superiori, tanto in periculo maiori versatur: beatus autem erit si sicut Iob dicere posit. [u] Ita me caui vt terra mea non habeat aduersū me querelam, quod quam difficile sit, cogitet vnusquisq; quia & filius Dei benè omnia fecit, & [x] tamen murmur multus erat de eo, alij dicebant, quia bonus est, alij vero non, sed seducit, aiebant, turbas. Nempe Prælatus positus est, [y] sicut signum ad sagittam, & [z] in signū cui contradicetur, præsertim si velit praua [a] in directa, & aspera dirigere in vias planas. [b] Sed non te fragant res ista, [c] teipsum præ-

n 2. Co. 9.
o Act. 8.
p Luc. 17.
q Ps. 40.
r 3. Reg. 12.
s Luc. 16.
t Num. 27.
u Iob. 31.
x Ioh. 7.
y Tre. 3.
z Luc. 2.
a Esa. 40.
b 2. Reg. 11.
c Tit. 2.

d 1. *Pet.* 3. e *Gen.* 17. f 1. *Cor.* 4. g *Sap.* 6.

be exemplum bonorum operum, & [d] quid nocebit tibi si boni æmulator fueris, [e] ambula coram Deo, & esto perfectus, deinde tibi pro minimo [f] sit, vt ab homine iudiceris, vel ab humano die. [g] Præbete ergo aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quia data est vobis potestas ab Altissimo, qui & interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem Iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis, horrendè, & cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt fiet, exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquã Deus, neq; verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus; fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad vos ergo Prelati sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam, & non excidatis.

De reuerentia veris Ecclesiasticis exhibenda. Rapsodia XLVII.

a *Ps.* 131. b *Deut.* 18. c *Matt.* 21.

CVM igitur tam sublimis sit veri Ecclesiastici status, dignitas tam præclara, & tam sacrum eius ad Deum, & ad populum sit munus, & officium, quid mirum, si eo sit in honore, [a] vt vel locus ipse vbi steterunt pedes eius omnino sit adorãdus. [b] Nonnè ex Iordanis alueo iussit Iosue tolli duodecim lapides, lapides inquã, vbi steterant Sacerdotum arcam portantium pedes, vt ex illis construeretur altare? [c] Nonnè plurima turba strauerunt vestimenta sua in via sub pedibus asinæ, super quam Christum sedere fecerunt? hoc autem faciebant, non vt vile illud iumentum, sed vt eum, qui desuper sedebat, honorarent.

rarent. [d] Nonnè Licaonici videntes signa magna, quę Paulus, & Barnabas faciebant inter illos, in tali eos habuere reuerentia, vt vix populus, & Sacerdos eorum prohiberi ab ipsis Apostolis potuerint, quin illis, non secus ac si dij essent coronas & tauros sacrificarent? [e] Sed nec Angelus cum Ioanni apparuisset, permisit ab illo se adorari, sed cum cæcidisset ad pedes eius, vt eum adoraret, prohibuit eum Angelus dicens. Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum. Verè impletum est in Ecclesiastico, quod per prophetam fuerat olim prædictum. [f] Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum, omnes qui detrahebant tibi, [g] seruiant tibi populi, & incuruentur ante te fili Matris tuæ, Nimirum Ecclesiasticis præsertim conuenit, quod dictum est, [h] Et terror vester, ac timor sit super cuncta animantia terræ; Quorum etiam nonnulla, sæpe diuino nutu reuerentiæ, & honoris obsequia Sacerdotibus præstiterunt. Sed & super omnes bestias crudeli Attilę S. Leonis summi Sacerdotis præsentia, tantum incussit terrorem, vt pedem, & animum ab Vrbis obsidione illico reuocauerit. [i] Nec mirum, quia si ministratio damnationis fuit in gloria, quid si multò magis abundat ministerium Iustitiæ in gloria, quod vtique per Ecclesiasticos exercetur? Et ministratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit ingloria, ita vt non possent filij Israel intendere in faciem Moysi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur, quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? & quibus incumbit huiuscemodi ministratio spiritus, nisi Ecclesiasticis? propterea scriptum est [k] in Actibus Apostolorum, quia nemo cæterorum audebat se coniungere illis, sed magnificabat eos populus. [l] Non solum enim Stephani, sed & cuiuslibet Apostoli intuebantur vultum, tanquam vultum Angeli stãtis inter illos. Quidni homines & Angeli Ecclesiasticos venerentur, [m] quos Deus ex hominibus elegit, [n] & constituit

d *Act.* 14.
e *Apoc.* 19.
f *Esa.* 60.
g *Gen.* 27.
h *Gen.* 9.
i 2. *Cor.* 3.
k
l
m *Ioh.* 15.
n *Hier.* 1.

eos

eos super gẽtes,& regna vsque adeo,vt vnus Sacerdos plures aliquando vnxerit Reges & Imperatores. Reges autem omnes simul nec vnum Sacerdotem vngendi habent potestatem. Sed & Deus olim ijs, quæ sibimet debebantur à populo, Decimę, oblationes ac primitiæ, pro quotidianis voluit alimentis assignari, vndè ad Aaron Summum Sacerdotem, & filios suos dicit. [o] *Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum, omnia, quæ sanctificantur à filijs Israel tradidi tibi, & filijs tuis pro officio Sacerdotali legitima, sempiterna omnis oblatio & sacrificium, quicquid pro peccato tedditur mihi, & cedit in sancta sanctorum, tuum erit, & filiorum tuorum*, [p] filijs Leui dedi omnes decimas in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis, omnes quoque primitiæ, quas offerunt filij Israel, ad Sacerdotem pertinent, & quicquid in sanctuarium offertur à singulis, & traditur manibus Sacerdotis, ipsius erit. Hos diligit quasi pupillam oculi sui, nam ipsis dicit. [q] Qui tangit vos tãgit pupillã oculi mei; & Laicis item. [r] Nolite tãgere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. [s] Sunt enim Ecclesiastici dispensatores ministeriorum Dei, & Sacramentorum suorum, quibus etiam traditæ sunt claues regni cælorum. Et cum [u] solius Dei sit remittere peccata, [x] his tanquam ministris tradidit potestatem remittendi peccata, ita vt quorum ipsi remiserint peccata, remittantur eis, & quorum ipsi retinuerint, retenta sint eis; Quid quod illos omni potentiæ suæ fecit esse consortes, [y] vt sicut ille per vnũ verbum, fiat, creare potuit omnia simul, sic & illi prolatis quinque verbis consecrationis efficiant, vt in carnem transeat panis & vinum in sanguinem? [z] Verè nimis honorificati sunt Sacerdotes tui Deus. [a] Honorifica Deum, ait Sapiens, & Sacerdotes eius. [b] Nam qui benè ministrauerint, gradum bonum sibi acquirent, & [c] qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni sunt, & ideo [d] obedite Præpositis vestris, & subiacete eis.

o *Num*.18.
p *Num*.5.
q *Zach*.2.
r *Ps*. 104.
s 1.*Cor*.4.
t *Matt*. 16.
u *Luc*.5.
x *Matt*.16.
y *Gen*.1.
z *Ps*. 138.
a *Eccli*.7.
b 1.*Tim* 3.
c 1.*Tim*.5.
d *Heb*.13.

eis. Quidni subiaceant nobis homines, [e] quando etiam Dæmonia subijciuntur nobis? Nescitis, [f] quia & Angelos iudicabimus, quanto magis sæcularia? Verè omnia subiecisti [a] sub pedibus eorum, cur igitur Sacerdotibus noui testamenti mediatoribus, non illa debent fideles exhibere, honoris, subiectionis, ac liberalitatis obsequia, quæ antiqui suis præstare consueuerunt? [b] Interroga Patres tuos, & dicent tibi, maiores tuos, & annunciabunt tibi, [c] qualem apud antiquos habuere Sacerdotes claritatem, qualem apud turbas reuerentiam, qualia liberalitatis, & honoris obsequia, apud Seniores. Tacentes [d] illos sustinebant Principes, loquentes illos respiciebant, & sermocinantibus illis plura, manus ori suo superponebant videbant eos iuuenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabant, Principes cessabant loqui, & digitum suum superponebant ori suo, iras suas cohibebant Dites, [e] & gladios suos in vaginam conuertebant, [f] ipsi conterebant molas iniquorum Principum, & de dentibus eorum auferebant prædam, si quando Ecclesiastica bona per iniuriam occupare, vel libertatem Ecclesiæ lædere ausi fuissent: Qui illos audiebant, expectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilia eorum, verbis eorum nihil audebant addere, si ad Reges ire contigisset; sedebant primi, quasi Reges, circumstãte exercitu. [g] Nunc vero vbi est honor noster, ecce derident nos iuniores tempore, quorum nõ dignabamur partes ponere cum canibus gregis nostri, quorum virtus manuum nobis est pro nihilo, & vita ipsa putantur indigni, filij stultorum, & ignobilium abominantur nos, facies nostras conspuere non verentur, facies [h] senum non erubescunt. [i] Sacerdotes ducunt inglorios: [K] In medio fratrum iam Rector sine honore, [l] nunc in eorum canticum versi sumus eis, & facti sumus eis in prouerbium, [m] aduersus nos obloquuntur, qui sedent in porta, & in nos psallunt, qui bibunt vinum, facti sumus omnium peripsema, [n] olim cum

e *Luc.* 10.
f 1. *Cor.* 6.
a *Ps.* 8.
b *Deut.* 33
c *Sap.* 8.
d *Iob.* 29.
e *Matt.* 26.
f *Iob.* 29.
g *Iob.* 31.
h *Tren.* 5.
i *Iob.* 12.
k *Eccli.* 10.
l *Tob.* 31.
m *Ps.* 68.
n *Num.* 23.

Moysi Iosue substituendus esset in Ducem populi, ipse stabat coram Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine pro illo. Si quid agendum erat, Eleazarus Sacerdos consulebat Dominum, Ad verbum ipsius egrediebatur, & ingrediebatur Iosue, & omnes filij Israel cum eo. Si quid mandasset, Sacerdotis oraculum accipiebant illud Principes, non vt verbum hominis, sed sicut erat verbum Dei. [o] Nouerant enim, quia qui vos spernit, dicit Dominus, me spernit, & qui vos audit, me audit. [p] Veniebant ad Summos Sacerdotes legati ex Aegypto, Aethiopia, preueniebat manus eius Deo. Terribilis adeo erat Sacerdotis manus apud Reges terræ, [q] vt baltheum Regum sæpè dissoluerit, & præcinxerit fune renes eorum, quousque vultu in terra demisso adorarēt eum, & puluerem pedum eius lingerent. [r] Iam vero quis credit auditui nostro? Si quid præcipiat Sacerdos Laicis non secundum eorum voluntatem, [s] furor illis aduersus Sacerdotem, secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantis, & venefici incantantis sapienter; parum est non audire, nisi & in faciem ei auderent resistere. Neque id audent Reges aut Principes tantum, sed minimi quique ex infima plebe, velut arietes cornua ventilantes eleuantur contra populum Domini, & ad imperium Sacerdotis obedire contemnunt. [t] Porrò si liberalitatis, ac munificentiæ obsequia, quæ veteres Sacerdotibus exhibuerunt, tacuerimus, ingratitudinis arguemur, & lapides ipsi clamabunt, magnifica templa erecta, Monasteria magna constructa, ampla Patrimonia Ecclesijs relicta, exemptiones ab omnibus vectigalibus indultæ. Sciebant enim, [u] quia qui benedixerit illis, sit ille benedictus, & qui maledixerit illis, in maledictione reputabitur. [x] Cum aliquando fames premeret Aegyptum, emit Ioseph omnem terram Aegypti vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis, subiecitque eam Pharaoni, præ-

o *Luc.* 10.
p *Ps.* 67.
q *Iob.* 12.
r *Isa.* 53.
s *Ps.* 57.
t 4. *Reg.* 7.
u *Num.* 24.
x *Gen.* 47.

ter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis, quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebãtur, & idcirco non ſunt compulſi vendere poſſeſſiones ſuas, exinde in vniuerſa terra illa Regibus quinta pars perſoluitur abſq; terra Sacerdotali [y] Rex quoq; Cyrus decreuit, vt ex arca Regis, & alijs Regijs tributis ædificaretur domus Dei in Hieruſalem, in loco, vbi immolarent hoſtias, & vt vaſa argentea, & aurea Templi Dei, quæ olim tulerat Nabuchodonoſor in Babylonem, referrentur in templum, & darentur per ſingulos dies Sacerdotibus frumentum, ſal, vinum, & oleum, darentuq; etiam ſumptus, tùm viris illis, qui faciebant opus, tùm Sacerdotibus, vt offerrent oblationes Deo cæli, orarentq; pro vita Regis, & filiorum. [z] Quin & ipſius Cyri ſucceſſor Artaxerxes, vobis, inquit, Procuratoribus Regni dicitur, vt omnibus Sacerdotibus & Leuitis, & Sacris Cantoribus & ſeruis templi, & ſcribis templi nullum tributum neq; vlla indictio irrogetur, nec habeat quiſquam poteſtatem obijcere eis quidquam: Inſuper multi Imperatores, Reges, & Reginæ, Sacerdotes ab omnibus liberos eſſe, ſuis legibus decreuerunt, non ſolum autem, ſed & latifundia, Prouincias, ac Regna Eccleſię dono dederũt, vt impleretur, quod dictum eſt per Prophetam. [a] Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ. [b] Iam vero ſurrexerunt filij Belial, noui Pharaones, qui ignorant Ioſeph, qui Dominum neſciunt, & Iſraeli, & Sacerdotibus non ſolum nihil dimittunt, ſed arbitrantur obſequium ſe præſtare Deo, ſi bona Eccleſiaſtica diripiant, ſi Sacerdotes angarijs & tributis iniuſtis aggrauent. [c] Noui recenteſq; venerunt à ſemitis Patrum ſuorũ recedentes. [d] Generatio vtiq; praua & exaſperans, generatio quæ non direxit cor ſuum, & non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius, [e] hi venerunt in hæreditatem Domini, Altaria Domini deſtruxerunt, templa polluerunt, Monaſteria demoliti ſunt, poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam, ſicut ſcriptum eſt. [f] Sa-

y 1. *Eſd.* 7.
z 3. *Eſd.* 8.
a *Eſa.* 49.
b *Exo.* 1.
c *Deut.* 32.
d *Pſ.* 77.
e *Pſ.* 78.
f *Prou.* 14.

g Ps. 17.
h 1. Co. 9
i Thes. 5.

piens ædificat domum, insipiens extruosam quoq; manibus destruet. Nam quod Patres eorum ædificarunt, g filij prorsus alieni atq; ementiti destruxerunt. h Et quidem si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si carnalia vestra metamus? Si in Sacrario operamur, quare ea quæ de Sacrario sunt non edamus? i Rogamus vos, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos, vt habeatis illos abundantius in charitate, propter opus illorum pacem habete cum illis.

Cur Ecclesiasticus in medio Laicorum sine honore. Rapsodia XLVIII.

a Ioh. 15.
b Iob. 12.
c Tren. 4.
d Ps. 114.
e Matt. 13.

QVIA a Mundus, quod suum est, diligit, ideo b deridetur iusti simplicitas Sacerdotis, & quasi lampas cõtempta apud cogitationes diuitum. Sed & nimia quorundam Ecclesiasticorum cum Laicis familiaritas, parit Ecclesiasticæ dignitatis contemptũ. Quomodo enim illos in honore habeãt filij huius sęculi, c quos vident quasi lapides sanctuarij, dispersos in capite omnium platearum, & esse omnino sicut Laicos, sic & Ecclesiasticos? Scilicet, d commixti sunt inter gentes, & ideo didicerunt opera eorũ. e Ipsemet filius Dei factus homo veniens in Ciuitatem suam Nazaret, docebat eos in Sinagogis, ita vt mirarentur, & dicerent, vndè huic sapientia hæc & virtutes? & nihilominus contemnebant eum, dicentes. Nonnè hic est filius fabri, nonne mater eius? Maria, & fratres eius Iacobus & Ioseph & Simon & Iudas? & Sorores eius nonnè apud nos sunt? vndè ergo huic omnia hæc? & scandalizabantur in eo, Iesus autem dixit eis, non est propheta sine honore, nisi in Patria sua, & in domo sua. Quid mirum si sine honore in patria sua sint multi Ecclesia-

ſtici, quorum non ſolum parentes noti, ſed nota quoq; inſcitia, nota indeuotio, noti quoq; ſunt improbi mores? an nō neceſſe eſt eos contēptui haberi apud laicos, inter quos viuunt [f] quaſi vnus ex illis, ſimiles illis omnino, & vtinam non peiores effecti? Iohannes [g] qui ſe indignum exiſtimabat, vt ſolueret corrigiam calceamentorum Chriſti, quia tamen in deſerto omnibus ignotus latebat, tanti eum faciebat populus, vt ad eum exiret omnis Hieroſolyma, & omnis Iudęa, & omnis regio circa Iordanem, vt baptizarentur ab eo, & niſi, [h] quia ille confeſſus eſt, & non negauit, quia nō ſum ego Chriſtus, illum veluti Meſſiam excepiſſent, [i] tantum quia elongauit fugiens, & manſit in ſolitudine, [K] Vtinā Eccleſiaſtici fugerent eā, quæ in mūdo eſt, conuerſationē, & cū ea ſimul huius ſæculi inquinamēta, vtinam manerent aliquādo ſicut paſſer ſolitarius in tecto, [l] ac ſinerent mortuos ſepelire mortuos ſuos. [m] vtinā recederent de medio Babylonis, & [n] quaſi colūbę meditātes, habitarēt in foraminibus petrę, [o] abſcōditi in abſcondito faciei ac vultus Dei à cōuerſatione & à conturbatione hominū. [p] O quā pretioſa eſſet in conſpectu ſæculi, non ſolum mors, ſed vita, & dignitas Sacerdotum. [q] Modo quia imperfectum noſtrum vident oculi eorum, contemnūt nos. [r] Peccatum peccauit Hieruſalem, propterea inſtabilis & vilis facta eſt, omnes qui glorificabant eam, ſpreuerunt illam, quia viderunt ignominiam eius. [ſ] Ecce enim ait Dominus ad Heli Sacerdotem, & ad ſingulos prorſus Eccleſiaſticos: Loquens locutus ſum, vt domus tua, & domus Patris tui miniſtraret in conſpectu meo in ſempiternum: Sed quia calce abieciſtis victimam meā & munera mea, abſit hoc à me. [t] Eccè paruulum dedi te in gentibus, contemptibilis tu es valde, nam quicunq; honorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. [u] Secundum multitudinem iniquitatum ſuarum, in quibus peccauerunt mihi, gloriam eorum in ignominiam commutabo. Verè quod


f *Gen.* 3.
g *Matt.* 3.
h *Ioh.* 1.
i *Pſ.* 54.
k *Pſ.* 101.
l *Luc.* 9.
m *Hie.* 50.
n *Cant.* 2.
o *Pſ.* 30.
p *Pſ.* 115.
q *Pſ.* 138.
r *Tre.* 1.
ſ 1. *Reg.* 2.
t *Abd.* 1.
u *Oſeæ* 14.


enerabilis vel contéptibilis sit Ecclesiasticus apud Laicos non tam Laicorum probitas vel improbitas, quam ipsius probi vel improbi mores efficiunt. Nam ipsimet videmus eos quoq; qui foris sunt, infideles, si quem viderint Eccle-
x *Iob. 1.* siasticum, [x] qui sit simplex rectus, ac timens Deum, hunc venerari, diligere, laudare, huic liberalitatis adiumenta præstare. [y] Vndè & illa Sunamitis, quæ Elisæum
y *4. Reg. 4.* um hospitio recipiebat, animaduerto (inquit ad virum suum) quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter, faciamus ergo ei cœnaculum paruum, & ponamus in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum,
z *Mar. 6.* vt cum venerit ad nos, maneat ibi. [z] Herodes quoq; alioquin impius, nonnè metuebat Iohannem, sciens eum virum sanctum & iustum, & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat? [a] Deniq; cum sancta Ciuitas habitaretur in
a *2. Mac. 3.* omni pace, leges etiam optimè custodirentur propter Oniç Pontificis pietatem, & animas odio habentes mala, fiebat, vt & ipsi Reges & Principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent: ità vt Seleucus Asiæ Rex de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium, sacrificiorum pertinentes. Hæc igitur est Aggiographica veri Ecclesiastici ac Sacerdotis ef-
b *Pro. 22.* figies. [b] Ecce descripsi eam tibi.

LAVS DEO, AC BEATISSIMAE
VIRGINI MARIAE
AMEN.

CORRIGENDA.

In Epiſtola prohemiali Diuinum *leg.* viuum in Indice ſint *leg.* ſit pag.20.filius *leg.* filius Dei pag.25. immaculatam *leg.* immaculatum pag. 31. oculis *leg.* oculi pag. 45. relig. *leg.* Regis pag. 47. ad arca *leg.* de arca pag. 49. recti *leg.* recte pag. 53. vti *leg.* vt *ibid.* Eccleſiaſticæ *leg.* Eccleſiæ pag. 56. ſplendent *leg.* ſplendet *ibid.* ſumunt *leg.* ſunt *ibid.* . *leg.* ? *ibid.* queam *leg.* quam pag. 57. occurrus *leg.* occurſum pag. 59. quale *leg.* quales pag. 61. poſuerit *leg.* non poſuerit pag. 62. ſi adde is pag. 63. & in dele & *ibid.* iniuſtitia adde in pag. 67. decet *leg.* dicet pag. 72. dicatis *leg.* dicatur *ibid.* tectis *leg.* tectis cum *ibid.* maaducabo *leg.* manducabo pag. 77. corripuit . *leg.* corripuit, pag. 78. qui *leg.* quæ *ibid.* ſuccedunt *leg.* ſuccendunt pag. 80.emundare *leg.* emendare pag. 93. lucretis *leg.* lucreris pag. 95. cuiuſq; *leg.* cuiuſquam pag.97 . theſauris *leg.* Theſaui pag. 105. laborum *leg.* laborem pag. 109. hęc *leg.* hac pag. 111. ſuo *leg.* ſua pag. 121. decedat *leg.* decebat pag. 127. Canonis *leg.* Canonicis pag.149. & ab dele & , *ibid.* conſtitutis *leg.* conſtituitis pag.152. elegi *leg.* elegit pag. 153. predicabant *leg.* predicabunt pag.154. Eccleſiaſticorum *leg.* ſine, pag. 163. qui *leg.* quia pag. 164. vt quis *leg.* quis pag. 175. enus *leg.* vnus pag. 185. tribuat *leg.* tribuit pag. 189. ſe *leg.* te *ibid.* fragant *leg.* frangat pag. 195. eſſe adde tributis.






Restauro del Libro
Badia
di
Cava